Paedagogia moralis

Tertiâ R. Williamsoni Cuprensis curâ aucta et limata, in gratiam juventutis Christianæ.

Proverb. cap. 22. & 20.

Instrue quemque puerum in ratione via ipsius & cum senuerit non recedet ab ea.

Actionibus suis præbeat se cognoscendum etiam puer an purum & rectum sit opus eius.

EDINOPOLI.
Excudebat Ioannes Wreittoun. 1635.

LIBELLI ΑΝΤΙΠΕΛΑΡΓΙΑ AD LO-
CVM NATALEM CVPRVM.

Vrbs nativa mihi, terno circumdata colle,
Fluminis & campi non inamoena situ,
Accipe grata, tuo quæ creta polita fuere
Moralis Sophiæ dogmata nostra sinu.
Sic patrocinio dignetur utrumq; Iehova,
Ipsius & crescas fulta favore, bonis.

R. W.

PARÆNETICON AD TIRONES
PROBÆ EDVCATIONIS
Studiosos.

SI bene te latiæ praxin cognoscere linguæ,
Tiro juvat, sancte & discere sancta loqui:
Si studijs mores; pietatem moribus almam
Iungere præclaris, si tibi cura viget.
Hæc acri conscripta stylo faciliq; libellus
Exhibet, eximiæ sedulitatis opus.

M. I. SP. S. E. Min.

NATIONAL LIBRARY OF SCOTLAND B 16 JY 1932
LAURISTON CASTLE LIBRARY ACCESSION

VERE GENEROSO DOMINO D. ROBERTO CARRE, Comiti de *Ancram*, Magnæ Britanniæ REGI ab *intimis cubiculis*, *S. P. D.*

DIgnare illustris Comes, mei erga θσιβειαν ϗ ευσεπειαν puerilem studij & tuam generositatem piam observantiæ μνημοσυνον hoc qualecunque denuo suscipere: quod pietatis orbitam ingressis pueris comitem non inutilem fore censuerunt perdocti quidam illam spirantes. Quali directrice face, in hac peregrinationis nostræ caligine, quantum indigeat ætas illa rudis, & pravi facile docilis, divina oracula rerumque magistra experientia per omnes temporum series comprobaruut, nec enim repente excutitur, cui quisquam ab infantia assueverit: unde per magni interest, quibus documentis, quámque oportune & dextre juventus christiana imbuatur. Proinde functionis meæ pretium maximum duxi, si precepta moralia medullitus concepta (exhaustis prioribus exemplaribus authoritate publica suffultis) philomusis adolescentulis jam tertiò gratificarer. Quem studij nostri partum tibi idcirco refovendum offero: quòd hactenus tu, in asserenda vera religione (cujus hic Compendiolum exhibeo) exemplo insigni nobilibus multis Britanniæ præluxeris. Quod tibi in bonis cedat sempiternum, hujusque lectioni libelli & ceteris fœliciter succedat Deum Opt. Max. propter Jesum Christum intime exopto. Te interea in ipso bene valere jubet.

Tui honoris & salutis studiosiss. R. Williamson

Authoris Apologeticon.

AD CHRISTIANAM IVVENTVTEM. DICATVM GENEROSIS Adolescentibus, IOANNI, WALTERO, & IACOBO PRESTONIIS filiis, *D. Ioannis Preston, Equitis & Baroneti de* Ardray.

Item Roberto, Iacobo, Ioanni, & Gulielmo Arnot, *filiis D. Iacobi Arnot Baronis de* Ferny.

NOn ego vaniloquûum vatùm figmenta recludo,
Nec cano *Phlægræis* agmina fusa locis.
Quæ mentem renovet pueris, quæ corpus honestis
Moribus exornet profero pædotriben.
Consecro quam vobis veræ pietatis alumnis,
Quam Sophiæ gnatus justificarit ovans:
Quum fidei veræ conformia dogmata tradat
Christicolas facili quum brevitate juvet.

Authori pædagogiæ moralis, *Roberto Williadæ*, Viro vere bono & erudito.

THræiceum mendax commendat fabula vatem
Atq; Promethææ incendia prima facis.
Ille feras post se saltusq; & flumina traxit
Addidit informi hic semina dia luto.
Ficta illis, in te res facta est, dogmate docto
Qui potis es mores dedocuisse feros.
Pectora cælesti & puerorum accendere flamma,
Sic vitâ miseris das meliore frui.

R. Fairlæus

Pædagogiæ moralis pars prior, de pietatis puerilis exercitio.

INstitutio puerorum ſcholaſtica eſt legitima ipſorum eruditio, in bonis literis & moribus: eſtq; precipuè grãmaticalis aut moralis. Inſtitutio grãmaticalis eſt informatio puerorum in cognitione linguarum præcipuarum latinæ, grecæ, hebreæ &c. & circa orationis congruitatem, modulationem, & exornationem verſatur, quæ quidem, præcepta grãmaticæ Poeticæ & Rhetoricæ docent. Inſtitutio moralis eſt eruditio puerorum in doctrina & monitis domini & civilibus moribus. Ejus proinde duæ ſunt partes, vel enim tractat de moribus internis ſeu recta animi ipſorum ad pietatem ordinatione: vel mores externos civiliter concinare docet: licet vero hæc pars perfunctorie admodum tradatur & philomuſis delibanda dumtaxat proponatur: eam tamen his maxime neceſſariam eſſe agnoſcunt cordati ubicunq; chriſtiani juxta illud verelogium *Qui proficit in literis & deficit in moribus, plus deficit quàm proficit.* Inſtitutionis moralis pars prior hiſce tribus gradibus fructuoſe acquiritur. Primo, ſeria & pura invocatione Numinis ad tenellæ ætatis ſtudioſorum ſtatum conformata, quam primo loco praxeos non cognitionis reſpectu conſtituo. Secundo, intelligentiâ & repetitione principiorum pietatis, Tertio aſſenſu & perſuaſione iiſdem adhibita: quod ſolus operari queat Spiritus ſanctus ſeriis precibus a Chriſto exorandus: priores duos gradus ſequens tractatio ſuccincte & ſolide indicabit. *Me*

Meditatio matutina privata,

OStende mihi hodie, benedicte Iehova, viam æquitatis tuæ, & fac ut in ea incedam. *A*verte oculos meos ne adspiciant vanitatem 3 Linguam contine ne proloquatur falsa aut impia, 4 nec sinito ut pedes aut manus meæ festinent ad malum. 5 Renova animum meum tui notitia fiducia, amore & timore vero.

6 *A*dsit manus tua ad auxiliandum & benedicendum mihi & studiis meis 7 *L*ibera me periculis omnibus & consortio malorum, 8 Fulcito cor meum contra omnes peccati illecebras tua gratiâ 9 Fac ut obediam parentibus & magistris meis, ipsosq; reverear & intimè diligam, 10 Miserationes tuæ amplæ sunt, secundum eas condona mihi delicta, & annue huic mentis meæ supplicationi propter Iesum Christum,

Hymnus matutinus dominicis diebus a schola-
sticis ad Christum cantandus ex Buchan.

PRoles parentis optimi,
Et par parenti maximo,
De luce vera vera lux,
Verusq; de Deo Deus.
En nox recessit iam nitet
Aurora sancti sabbathi,
(Quod tu iubes sacratier
Cultu tuo solenniter)
Eius solum iam purpurat
Cœlumq; luce splendida,
Sed fuscat ignorantiæ
Caligo nostra pectora,
Et nubilis erroribus.
Mens ah labascit obruta.
Mundi Redemptor unice,

Sol æquitatis, quæsumus
Exurge nostris mentibus,
Ipsas superne illuminans,
Splendore verbi & spiritus,
Erroris umbram discute,
Nostrumq; pectus molliens,
Calore lucis vividæ,
Humore purga noxio,
Fac transigamus hunc diem
Sanctè, abdicatis ludicris,
Negotiisq; sæculi,
Fac te colamus intimè,
In veritate & spiritu
Congratulantes Numini,
Indesinentur laudibus,

Precatio matutina puero in Schola reliquo-
rum nomine publice concipienda,

SPirituum Pater alme, boni fons omnis & Author,
1 Mentes irradia turbæ hujus lumine dio,
Noscere quô valeant fidi documenta Magistri.
2 Mnemas irrora turbæ hujus rore superno
Quô meminisse queant edisscere lectaq; prompte,
3 Pectora divinæ sapientiæ amore repleto,
4 Ingenia & vegeto firmans hebetata vigore.
Omnigena veri nos imbue cognitione,
5 Cœlestis favor ô cœptis arrideat æquis,
6 Excubet usq; scholæ divina potentia præsens,
7 Iustaq; percipiant nostri incrementa labores,
8 Numinis in laudem venerandi hinc tandem aliquando
Et patria & patres carpatq; Ecclesiæ fructus,
9 Annue Sancte Parens votis his propter Iesum,
Peccatis redimens nos ejus sanguine cunctis,
10 Peccandi purgans dominatu Pneumate sancto,
11 Qui mortis Domini redivivæ vim quoq; vitæ,
Discipulis ludi renovandis applicet hujus.

Consecratio Mensæ.

AD te creator omnium,
Viventium se lumina
Flectunt & escam in tempore,
Illis ministras affatim,
Verbo tuo, convivio
Quovescimur benedicito.

Implens superna gratiâ,
Illo fruentes singulos,
Indesinentur corpore ut
Alacriusq; mentibus,
Sic serviamus Nnmini.

Amen.

Gratiarum Actio post cibum sumptum.

OQui potenti dextera
Cœli solique fabricam,
Creasti & usque sustines
Huiusce Pastus gratiâ
Grates hab,

Reginam & ipsum principem,
Et iudices tum nobiles,
Meos parentes, compatres
Domesticos, & proximos,
Tui timore Numinis.

Et in no,

Grates habemus unice,
Tuum rogantes filium
Nos ſpiritus ut dotibus,
Perennis in ſpem paſceret,
Hæriditatis vividam.
Regem bea noſtrum Deus
Et innovantecor fide,
Gregem piorum dirige,
Multiplica tum protege,
Contra Antichriſti aſtutiam,
Tyrannidemque peſſimam.
Amen.

Precatio veſpertina publice ſub ſcholæ dimiſ-
ſionem habenda,

OMnipotens æterne Deus Rex maxime re-
Larga benignus ſemper indulgentia(gum
Ingentes agimus toto de pectore grates:
Quòd nos adoptâris tuos in filios,
Noſtraque quòd vitijs obnoxia corda novaris,
In ſanctitatem & gloriæ ſpem gratiâ,
Munifice indignos quòd donis accumulâris.
Laboribus quòd affatim benedixeris:
Quodq; per hàc lucẽ incolumes ſervaris alẽdæ
Vitæ adminiſtrans commoda neceſſaria.
Quæſumus alme pater benefacta oblivio ſegnis
Ne mentibus tam magna noſtris deleat.
Nene caducorum ſtudium ſic faſcinet unquã
Animos, ſuperna negligamus ut bona.
Sed ſurſum erecti conſtanti tramite Chriſtum
Salutis authorem petamus & ducem,
Perge etiam patria turbã hanc perducere curâ,
Per noctis atræ ſoſpitem ſilentia:
Præſidioq; tui fulcire inſomnia contra,
Arteſq; Sathanæ fraudulentas ſpiritus.

Precatio nocturna clâm ſcholaſtico ante *lectum incurvato concipienda DEO.*

EX mera tuâ gratiâ eſt miſericors Deus, quod me tuto & incolumem per hunc diem perduxeris: te obnixe rogo eaſdem ſuper me meoſque parentes, & cognatos excubias hac nocte agas. Largire iam corpori meo quietem & ſomnum inſomniis malis liberum & lætitiam animæ. Cuſtodi utrumque a ſuggeſtionibus Sathanæ, periculis & malis geniis: nam in manus tuas utrumque commendo. Fac mihi gratiam confitendi & deplorandi tibi ſerio delicta huius diei, condona mihi ea propter mortem & merita filii tui. Renova magis magiſque peccatricem naturam meam. Inſpira mentì meæ cogitationes ſanctas hac nocte, de tua erga me bonitate, meaque pravitate, ut hanc domare, illam celebrare valeam. Annue meæ huic ſupplicationi propter ipſum illum benedictum Meſſiam noſtrum. Amen.

Precatio ſcholaſtica pro cognitione verbi & principiorum pietatis.

DOmine deus in miſericordia me humilia & timorem in me tuum effice quó myſteria tua cognoſcere valeam humilibus revelata, & occultata ſuperbis, Concede mihi intelligentiam verbi tui, quæ timorem illum anteit, adhoc da mihi ſpiritum illuminationis & intelligentiæ per agnitionem verbi illius.

Sanctifica & confirma memoriam meam ut reminiſcar & retineam documenta ſapientiæ tuæ.

Effice in me veram fidem ad obediendum ipſi, & largire mihi gratiam proficiendi in cognitione tui & Chriſti.

Et quia iubes omnes oneratos peccatis ſuis, eſurientes & ſitientes gratiam tuam ad te venire, comedere & bibere ex pane & vino vitæ. Ego fiduciâ tui mandati peccator graviſſimus licèt, adſpirante tuo numine ſtatui communicare S. tuæ cœnæ quam inſtituiſti in memoriam mortis tuæ: te obnixé rogans, velis augere mihi fidem & reſipiſcentiam quô poſſim a te cenſeri dignus conviva, cum illuc acceſſero, Annue hiſce votis propter unicum filium tuum Amen.

In-

INTRODVCTIO AD PÆDAgogiæ Moralis internæ partem alteram

E vulgari M. Gul. Scot. Eccleſiaſtæ.

Qu. *QVæ eſt unica tua conſolatio in vita & morte?*

Reſp, Quód Chriſtus ſit meus Dominus & Servator, & ego ipſius ſervus:

2 *Cur omnem tuam conſolationem & ſalutem in ſolo Chriſto ſitam eſſe cenſes?*

Quia ille ſolus prorſus me ſervare & liberare poteſt

3 *A quibus malis per Chriſtum liberaris?*

A Peccati & mortis, laqueis & inferorum portis,

4 *Per quemnam hominem introijt peccatum in mundũ?*

Per primos parentes noſtros Adamum & Evam.

5 *Quis eos creavit?* DEVS.

6 *Quo in ſtatu creavit ipſos?*

In veræ bonitatis & beatitudinis ſtatu.

7 *Qua in re ſita erat illorum beatitudo?*

In communione cumdeo, & dominio in creaturas!

8 *Quis inſtigavit eos, ad deſerendum hunc beatitudinis ſtatum?*

Sathanas vetus iſte ſerpeus, ipſorum libero arbitrio abutens,

9 *In quo ſtatu conſtituimur nos per fœdum ipſorum lapſum?*

Sumus omnes ſub lege & peccato,

10 *Quid vocas peccatum?*

Tranſgreſsionem legis divinæ.

11 *Quæ eſt hujus tranſgreſſionis pœna?*

Maledictio divina cúm in vita tum in morte,

12 *Qua ratione confirmaris de certitudine tuæ liberationis ab illa maledictione?*

Fœdere a deo cum hominibus inito, de Christo mediatore olim patribus promisso & ultimis hisce diebus in orbem terrarum introducto, ut peccatores servaret

13 *Recita promissionem unam hujus fœderis?*

Qui credit in filium habet vitam æternam Io. 3. 36

14 *Qualisnam mediator & servator est Christus?*

Verus deus, & in eadem persona verus & perfecté sanctus, & iustus homo,

15 *Quo pretio nos redemit?* Pretioso suo sanguine.

16 *In quem statum restituimur nos in eum credentes, per redemptionem illam?*

Non sumus amplius sub lege, sed sub gratia:

17 *Quis te de beneficio redemptionis tuæ certum facit?*

Spiritus sanctus: operando in nobis veram fidem & recipiscentiam,

18 *Quorsum es redemptus?*

Vt sine metu serviam deo, cum sanctitate & justitia in ipsius conspectu, cunctis vitæ meæ diebus.

19 *Quænam sunt precipuæ partes istius cultus?*

In Christi negotio non solum in eum credere, sed etiam pro eo af-fligi.

20 *Quæ merces promittitur sic servientibus Deo?*

Corona immortalis gloriæ

21 *Quodnam est hypocritarũ & infidelium stipendium?*

Est illis sua portio in hac vita, sed in futura cruciabuntur igne æterno, qui paratus est Diabolo, & ejus Angelis.

22 *Vnde tibi suppetit harum rerum cognitio?*

Plenissime in sacra scriptura traduntur, summatim autem Dei decalogo symbolo apostolorum, oratione Domini, & ipsius sacramentis comprehenduntur

EXPOSITIO BREVIS ET PERſpicua Decalogi, Symboli Apoſtolorum, *Orationis Dominicæ & ſacramentorum* novi fœderis Dialogiſticē tradita.

Qu. *QVo modo optimè inſtituat Adoleſcens viam vitæ ſuæ?*

Si intelligens legem Dei, ſymbolum apoſtolorum & precationem dominicam, illi obedire, iſtud credere & juxta hujus formam precari adnitatur. Pſal. 119.

2 *Quid continet lex Dei moralis ſive decalogus?*

Præcepta Dei moralia ſeu normam bonorum operum faciendorum. Exod 20.

3 *Quot præcepta humano generi dedit Deus?*

Decem quæ ſunt hæc.

1 Ne eſto tibi ullus deorum alienorum ante faciem meam.

2 Ne facito tibi ſculptile, aut ullam imaginem eorum quæ ſunt in cœlis ſupra, aut quæ in terra infra, aut quæ in aquis infra terram: ne incurvans te honorem exhibeto aut colas ea. Nam ego *Iehova* Deus tuus, Deus fortis zelotesſum, viſitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes, & abnepotes, in eos qui odio proſequuntur me exercens benignitatem in milleſimos a patribus qui diligunt me & obſervant mandata mea.

3 Ne aſſumito nomen *Iehovæ* Dei tui in vanum: nam non relinquit impunem *Iehova* eum, qui aſſumpſerit nomen ſuum in vanum

4 Recordare diei Sabbathi, ut ſanctifices illum. Sex diebus operaberis & facies omne opus tuum: dies vero ſeptimus eſt Sabbathum Iehovæ Deo tuo; in

eo ne facito ullum opus tu, aut filius tuus, aut filia aut servus tuus aut ancilla tua, jumentum tuum aut peregrinus tuus qui est intra portas tuas, nam sex diebus perfecit *Iehova* cælum, & terram, mare, & quicquid est in eis; quievit vero die septimo: idcirco benedixit *Iehova* diei septimo, & sanctificavit illum

5 Honora patrem tuum & matrem tuam: ut prolongent dies tuos supra terram illam, quam *Iehova* dat tibi,

6 Ne occidito. 7 Ne scortator. 8 Ne furator 9 Ne proferto falsum testimonium, contra proximũ tuum. 10 Ne concupiscito domum proximi tui. nec uxorem proximi tui, aut servum, aut ancillam aut bovem aut asinum ipsius neque quicquam quod est proximi tui.

4 *Quomodo dividuntur hæc mandata?*

In duas tabulas, quarum prior continet opera pietatis, seu amoris erga deum in quatuor primis præceptis: posterior opera justitiæ & amoris erga proximum in sex reliquis.

5 *Quid generaliter tenendum de hoc decalogo?*

Quód in peccatis hic prohibitis, contrariæ ipsis virtutes imperentur: & in virtutibus imperatis vitia contraria prohibeantur.

6 *Quid aliud de ipso tenendum?*

Quod sub una specie peccati reliquæ ejusdem speciei & apertæ occasiones damnentur *Matth.* 5. *Deut* 29 &c. 1. *Thess* 5. 21.

7. *Quid tenendum de priore tabula?*

Quod Deus primo & propter se intimé amandus sit cætera omnia propter ipsum quodque in si absolute

ab omnibus obediendum sit, *Math*, 22. 37. 39.

8. *Quid de posteriore tabula tenendum?*

Quòd officia charitatis erga proximum seu justitiæ, cedant officijs pietatis erga Deum, & quòd ea in Domino hominibus præstanda sint. *Eph.* 6. 1. *Act.* 5. 26. *Rom* 16. 1.

9. *Quem agnoscis pro proximo tuo?*

Quemque hominum cni mecum conveniendi & mutuo testandi benevolentiam occasio & facultas dantur. *Luc.* 10. 33, &c. *Mala.* 2. 10. *Apoc.* 22 9.

10. *Quomodo igitur erga persecutores Ecclesiæ vera nos gereremus?*

Ipsorum conversionem optare, sed neutiquã cum ipsis familiariter conversari debemus, *Luc.* 6. 28. 2. *Ioh.* 10 11.

11. *Quid præcipitur primo legis mandato,*

Solius veri Dei adoratio, in mente, voluntate, & affectibus. *Ios.* 24. 14. *Ioh.* 4. 23. *Mat* 22. 27. &c.

12. *Quæ sunt virtutes adorationis mentalis?*

Intelligentia & sapientia verbi Dei, & fides adhibenda hujus verbi veritati. *Ierm.* 9. 24. *cap*, 24. 7. *Ioh.* 5, 25.

13. *Quæ his virtutibus contraria hïc prohibentur?*

Ignorantia Dei ejusque verbi, perversa Dei cognitio (dicta in verbo illo stultitia) infidelitas, incredulitas & dubitatio de Deo, *Ier.* 4. 22. *Prov.* 5. 23.

14. *Quæ sunt virtutes adorationis voluntatis & affectuum?*

Amor & timor Dei intimus, zelus pro Dei veritate & gloria, patientia in adversis, fiducia in Deum ejusque [illegible] videntiam, & spes certa rerum promissarum

ſarum *Deut*, 6. 5. *Pſ*. 39, 9. *Pſ*.37. 3. 7.

15. *Quid eſt timor* Dei?

Eſt ſpeciale Dei donum, quo pius quiſque Deum aſſidue ſibi preſentem, ſuarumque actionum teſtem ac judicem agnoſcens metuit (ut ſummum malum) Deum peccatis ſuis offendere, eaque cavere adnititur ex amore ardenti, quo eum proſequitur, *Deut*. 10. 12. *Exod*. 1. 17, *&c*. *Pſal*. 4 4. *Pro*3 7 *cap* 13 13

16 *Quæ contraria his vitia hic vetantur?*

Odium Dei, ſecuritas carnalis amor & timor cujuſquam creaturæ major quam Dei, diffidentia de ipſo, & fiducia in illam, impatientia in adverſis, contemptus Dei, & deſperatio. *Ioh*. 14. 24. *Pſ*. 10. 6.

17. *Quæ virtutes totius animæ hic ſimul imperantur?*

Interna invocatio Dei, ſinceritas in ejus cultu, humilitas erga ipſum & ſubmiſſio ipſius voluntati denique gratitudo erga ipſum. 1 *Cor*. 14. 15. *Exod*. 14. 15, *Ind*. 16. 28. *Math*. 19. 4, *cap*. 24. 37. &c.

18. *Quæ his virtutibus contraria hic vetantur?*

Neglectus internæ invocationis Dei, hypocriſis, ſuperbia, magia, atheiſmus, idololatria interna, tentatio Dei, & ingratitudo erga ipſum, *Eſd*. 8. 19. 20. *Pſ* 14. 1. *Eph*. 2. 12.

19 *Quomodo præſertim committitur hæc idololatria?*

Dum divinitas aut interna adoratio tribuitur vlli creaturæ veræ vel fictæ ipſam pluſquam Deum amãdo timendo invocando eivefidendo, *Amos* 8. 14. *Eſa* 43. 17. *Deut* 11. 16. &c,

20. *Quid imperatur ſecundo legis mandato?*

Legitima Dei externa adoratio, ſita in approbatione & uſu mediorum cultus Dei, in verbo ipſius præ-

ſcrip-

ſcriptorum, *Deut.* 12. 32. *cap.* 6. 17, *cap.* 4. 2. *Eſa.* 29. 13. &c.

22 *Quod eſt prius iſtorum mediorum?*

Prædicatio & auditio verbi Dei, & participatio ſacramentorum ejus, conſona regulæ fidei, & inſtitutioni Chriſti. *Act*, 2. 41, 42. *Rom* 10, 14. 15. 1. *Pet* 4. 11. *cap*, 22. &c.

23. *Quod eſt alterum medium cultus externi Dei?*

Precatio ſoli deo concipienda, religioſa item corporis inter precandum diſpoſitio ſtatione vel geniculatione teſtata, laudatio Dei publica, & pſalmodia. *Eſ* 29. 13, *cap* 58. 13 *Luc* 10. 26. *cap* 16. 29. 2 *Tim*. 3. 15. *Act*. 17. 11. &c.

24 *Quid prohibetur hoc præcepto?*

Omnis externa idololatria, ſuperſtitio ſeu voluntarius Dei cultus, contemptus & abuſus mediorum jam dictorum, *Deut*. 4, 6. 19. *cap*, 5. 8. *cap* 12. 2. *cap*. 27. 15. 2 *Reg*. 19. 19. 18. 2. *Cor* 6. 16. *Colloſſ*. 2, 23. *Act*. 17 22, *Eſ*. 42. 24. *Ioh*. 8. 32, &c.

25 *Quomodo committitur hæc externa idololatria?*

Dum adoratio externa ſeu geniculatio religioſa, creaturis aut imaginibus ullis tribuitur, & ante has reſpectivé fit *Act*, 10, 25, 26, *Eſ*, 44. 10. 12. 14. *Deut*. 12. 30. *Pſal* 106. 35, *Dan*. 3. 5. 6. 7. &c.

26. *Quomodo committitur ſuperſtitio hæc?*

Dum media divini cultus non præſcripta in verbo urgentur, aut admiſcentur cultui illi traditiones humanæ ad ædificationem non facientes. 1 *Sam*, 15. 23. *Math*. 15. 9. *Coloſſ*, 2, 8. 20. 22. 23, &c.

27. *Quid primitus imperatur tertio præcepto?*

Vt loquamur quám reverenter de Dei titulis ver-

bo

bo, & operibus, & ut ſinceré nos geramus in profeſſione fidei. 1 *Cor.* 10. 13, *Deut.* 28. 58. *Eſ.* 48 1

28. *Quid preterea hic mandatur?*

Vt jusjurandum edamus per Deum ſolum, veré juſté & cum judicio, urgente ad hoc neceſſitate: & ut vota deo legitimé facta præſtemus. *Deut.* 6. 13. *Eſ* 41. 1. *cap* 65. 16. *Ier*, 4. 2. *Heb.* 6. 16 *Pſ.* 15. 4

29. *Quid primo hic vetatur?*

Profana uſurpatio titulorũ aut verbi Dei, hujuſce depravatio, profeſſio fidei hypocritica, ejuſdem diſſimulatio, aut abnegatio. *Pſ.* 50 16 *Eſ.* 15 7, 8. *c.* 29

30. *Quid deinde hic vetatur?*

Iuramenta per deum frivolé ſuſcepta, aut per aliud quid profanè, impia item ad malefaciendũ, dejerationes etiam, & perjuria. *Math.* 5. 37, 33. *Ier* 5 7

31 *quæ ultimo hic vetantur?*

Execrationes, imprecationes privatæ, blaſphemiæ temeraria vota, & non præſtatio bene ſuſceptorũ: *Lev.* 19. 12. *cap.* 24. 15. 16 *Num*, 20 6.

32 *Quid moraliter imperatur quarto præcepto?*

Vt é ſeptem ſeptimanæ cujuſque diebus, ~~unum~~ celebremus ſabbathum ſanctum deo, noſq; ei ſanctificantes tunc, illud ſedulò & ſolidé, ſolis pietatis exercitiis impendamus. *Eſa.* 58. 13 *Exod.* 31. 13.

93 *Quomodo promovetur conatus tam pius?*

Dum publicum verbi, precum, & ſacramentorũ miniſterium legitime & decenter, eo præſertim die exercetur. *Eſa* 1. 14. 15, *cap* 52 7, *Ez* 33. 7. *Luc* 4 15

34. *Quid hoc præcepto prohibetur?*

Neglectus miniſterii, die dominico ut oquoque: neve hunc diem mundanis negotiis, ludicris, aut

professione incuria polluamus *Za* 14. *Ier.* 17.21. *Neh* 13 15 *Ex* 17 19. *cap* 24.21.1 *Cor.*11.21.

35 *Quomodo & quando translata est septimi a creatione diei observatio in hunc diem?*

Hoc factum est Christi statim resurgentis a mortuis, post Apostolorum eius praxi, horumque directione hactenus in Ecclesia perpetuatâ. *Ioh.*20.19 26. *Math*,1. 28,1. *Marc*,16.1.2. 3,

36 *Cur facta est sabbathi translatio in primum cujusq; septimanæ diem?*

Adhoc ut dies dominicus esset memoriale resurrectionis Domini, atque ita restaurationis humani generis electi, per ipsum hoc die peractæ,

37 *Iam quid generaliter præcipitur in secunda tabula?*

Vt alteri faciamus, prout nobis fieri vellemus, atque adeo ut honestè & juste secundũ virtutem vivamus, *Math.*7.12. *Tit* 2 12 *Philip.*4,8. *Rom* 12,12.

38. *Quæ generales virtutes nos ad hoc præstandum adjuvant?*

Prudentia, & æquabilitas seu moderatio christiana

39 *Quid est prudeutia?*

Est virtus, nobis rationem rectè & accnratè ordinandi actiones nostras earumq; circumstantias demonstrans, *Math* 10.16. *Eph.*5.15,16.17.

40 *Qua in re consistit hæc moderatio?*

Ipsa est virtus, qnâ erga alios, eorumque humanos lapsus moderatè & leniter nos gerimus, nec rigorem juris ab eis exigimus, *Phil* 4,5, *Eph* 5. 21, *cap* 6 1.2. 2 *Pet.*1,13.

41 *Quid ergo imperatnr quinto mandato?*

ut

Vt promoveamus vocationem proximi, præsertim superiorum nostrorum, exercendo justitiam distributivam *Rom* 13.4 6.7. *Ioh*.7. 19.1 *Reg*. 3 28.

42 *Quomodo exercenda est virtus hæc a superioribus*

Dum hi maximé idoneis ex subditis functiones aptas assignant, singulisque præmia, aut pœnas juste distribuunt, leges bonas sanciunt, eisque subditos rite regunt, & armis a vi extranea, tuentur. *Deut* 1. 16. 17. 19.1 *Reg*.16 9.

43 *Qui exercetur justitia hæcab inferioribus?*

Dum hi præfectis sibi debita officia amoris, reverentiæ, obedientiæ, & gratitudinis exhibent, *Rom* 13.1.6, *Tit*.3 1.

44 *Quid hic prohibetur?*

Ne aliorum præsertim superiorum vocationi obsimus, ipsis iniqué vel ingraté officia illa subtrahendo. *Esa*.123.2 *Pet*.2. 9.10.

45 *Quid imperatur sexto mandato?*

Vt asseramns nostram & proximi nostri vitam & incolumitatem *Eph*.5.29. *Rom*.12.19 20,21.

46 *Quæ virtutes nos ad hoc præstandum adjuvant?*

Exercéndo amorem, amicitiam. benignitatem bonitatem, concordiam, dilectionem fraternam, fortitudinem, humanitatem, longanimitatem, mansuetudinem, misericordiam, patientiam, & hisce pares iræimpetum & vindictæ studium cohibentes.

47 *Quid hoc pr acepto prohibetur?*

Ne proximum aut nosmet animo aut corpore lædamus aut occidamus, exerendo iram, odium, invidiam, æmulationem, inimicitias, injurias, ignaviam, inhumanitatem, contemptum, maledicentiam, ma-

liciam, vindictam & paria *Eph* 4. 31, *Gal*, 5. 20.

48. *Quid imperatur ſeptimo mandato?*

Vt couſervemus noſtram & proximi noſtri caſtitatem retinendo ſeduló puritatem animi & corporis verbo dei congruentem, 1 *Cor* 5 9:

49 *Quæ virtutes nos adhoc præſtare adjuvant?*

Pudicitia, verecundia, modeſtia, continentia, & temperantia: per primas tres abſtinendo ab omni geſtu & ſigno libidinis & ab omni ſermone turpi 1. *Tim*. 2. 4. *Eph*. 5 3. 4.

50 *Quæ in re verſantur continentia & temperantia ſeu ſobrietas?*

Illa, in moderanda coitus: hæc cibi & potus appetentia. 1 *Cor* 6 9. 18. 19. 20. *cap*. 7 4,

51. *Quibus præſertim vitiis fœdatur caſtitas?*

Exercendo impudentiam, impuritatem, ingluviem, ebrietatem, laſciviam, procacitatem, ſcurrilitatem, & icortationum intemperantiæque genera reliqua verbo Dei damnata *Gal*. 5. 19. *Coll*, 3. 5

52 *Quid ergo hic prohibetur?*

Ne qua libidinoſa carnis intemperie inquinemur, nec fœdas, & a deo prohibitas libidines foveamns. 2 *Cor*, 7. 1 5. 1. 1 *Theſſ*. 4. 7.

53 *Quid imperatur octavo mandato?*

Vt facultates noſtras & proximi juvemus & ſuum cuiq; tribuamus: exercendo juſtitiam commutativam, beneficentiam, frugalitatem, contentationem & hiſce pares.

53. *Qua in re conſiſtit juſtitia commutativa?*

Eſt virtus quâ æquitatem in commerciis & contractibus ſervamus ex pacto, *Rom* 13. 7. 8. *Pſal*. 15, 4.

ſub

53 *Quid est contentatio seu autarkia?*

Est virtus, quâ præditus, presentibus suis bonis est contentus,& inopiam æquo animo fert, *Phil*, 4. 11, 12. 1 *Tim*,6 8.

54 *Quæ hic vetantur?*

Ne injusticiam in commerciis & contractibus, furtum aut fraudem in imminuendis proximi bonis exeramus, neve foveamus avaritiam, incuriam, parcimoniam nimiam aut prodigalitatem.

55 *Quid imperatur nono mandato?*

Vt lingua nostra proximi bonæ famæ & commodo inserviat, veracitate, simplicitate sermonis, taciturnitate & moderatione linguæ *Ecc.* 7. 3. *Pro.* 22. 1. *Phil* 4. 8.

56 *Quid est veracitas?*

Est donum Dei, quo veras sententias & cum rebus ipsis prorsus congruentes constanter proferre studemus.

57. *Quid est simplicitas sermonis?*

Est perspicua & plana veritatis prolatio, sine dissimulatione aut æquivocatione:

58. *Quid est taciturnitas?*

Est virtus,quá abstinemus a sermone,cum nobis nec convenit nec expedit loqui,& quá arcana citra læsionem conscientiæ subticemus, *Iac.* 1,19. *Pro.* 25 25. *Pro.* 11. 15.

59 *Quæ ergo summatim hic vetantur?*

Ne calumniis, convitiis,mendaciis,falsis testimoniis, dicaci urbanitate, linguæ futilitate,aut quovis abusu famam proximi lædamus. *Psal.* 15. 3.

59 *Quid mandatur decimo præcepto?*

Vt omnem cogitationem amori debito proximo adverſam, ex animis noſtris excutientes bene omnino & candide de proximo, & ad ipſum pertinentibus ſentiamus, 1 *Tim.* 15. 1 *Theſſ.* 5. 23.

60 *Quid hic prohibetur?*

Originalis concupiſcentia noxia, licèt voluntatis conſenſû vacet, atque adeo, ne vel malo cogitatu, proximo & ad eum ſpectantibus noceamus, eave concupiſcamus, *Ier.* 17. 9. *Gen.* 6. 5.

62 *Poteſtne quiſquam hæc mandata Dei præſtare?*

Nullatenus: nam in peccatis concepti & nati ſumus, & in multis delinquimus omnes. *Pſal* 51 7. *Iac* 3, 2. 1 *Ioh.* 1. 8. 10.

63 *Quid igitur prodeſt nobis hæc lex Dei?*

Primo per eum agnoſcimns peccata noſtra *Rom* 3

64 *Quid aliud nobis præſtat ipſa?*

Illa aggravans nobis delicta noſtra, nos ad Chriſtũ ejus impletorem, noſtri vice adigit. *Rom.* 7, 1. 5. 8. 9. *Gal.* 3. 19. 24 *Rom.* 10 4. 1 *Cor* 1. 30. 2. *Cor.* 5. 21

65 *Quid tertio præſtat nobis hæc lex?*

Amplexis fide Chriſtum, eique inſitis monſtrat, quæ bona opera, quomodo, & cur præſtanda ſint

66 *Quæ opera habenda ſunt bona, & cur facienda ea?*

Tantúm ea quæ procedentia ex corde purificato fide, fiunt juxta hanc dei legem: & ad Deum glorificandum, proximum ædificandum & confirmandã noſtram electionem diriguntur. *Luc* 175 *cap* 17. 10. 1 *Pet.* 2. 12. 2 *Pet.* 1 5 6. 7. 8 10. *Rom.* 14. 19 *cap* 15.

67. *Quomodo obſervanda ſunt hæc Dei mandata?*

Intimo, ſincero, & conſtanti affectu, & conatu obediendi cuique ipſorum: idque ex fide obedientiã

noſtrã

noſtram Dei verbo congruere Deoque propter Chriſtum acceptam eſſe, *Pſal.*119 1.2,3.2*Per*, 1.10. *Heb.*11.6.*Act.*15,9.*Rom.*14.23,

---

I *Am quid continet Symbolum Apoſtolorum*?
Summam Evangelij,& articulorum fidei credendorum.

2 *Repete diſtincte articulos hujus Symboli*?

1 Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorẽ cœli & terræ. 2 Credo in Ieſum Chriſtum filium ejus unicum, Dominum noſtrum,

3 Qui conceptus eſt a ſpiritu ſancto, natus ex Maria Virgine,4. Paſſus eſt ſub Pontio Pilato,crucifixus,mortuus,& ſepultus deſcendit ad inferna. 5. Tertio die reſurrexit a mortuis. 6. Aſcendit ad cœlum,ibique ſedet ad dextram Dei patris omnipotentis:indeque venturus eſt ad judicandum vivos & mortuos.

7 Credo in Spiritum ſanctum, 8, Credo ſanctam catholicam eccleſiam:9: Communionem ſanctorũ 10.Remiſſionem peccatorum. 11: Reſurrectionem carnis:12.Et vitam æternam.

3 *In quot partes diſtinguitur hoc Symbolum*?
In quatuor:in quarum prima, habetur profeſſio fidei noſtræ in Deum patrem.

4 *Quid continent ſecunda & tertia pars*?
Profeſſionem fidei noſtræ in Deum filium & in ſpiritum ſanctum,

5 *Quid habetur in quarta parte ſymboli hujus*?
Profeſſio fidei noſtræ de una ſancta univerſali eccleſia, & de præcipuis Dei donis erga ipſam collatis

Sunt

6 *Suntne hi tres, in quos credis, Pater, filius, & spiritus sanctus tres dij?*

Hi tres sunt unus tantum deus, & una divina essentia, in tribus his distinctis personis, patre gignẽte, filio genito, & Spiritu sancto ab utroque procedente, inenarrabiliter subsistens

7. *Quomodo describit scriptura sacra hunc Deum nobis?*

Deus est Spiritus vivens, intelligens, simplex, infinitus immutabilis, immortalis, invisibilis, *Ioh.* 4 24. 1 *Tim.* 1. 17 &c.

8. *Qui præsertim Deus dicitur esse infinitus?*

Deus est infinitus tempore, mensura, potentia, atq; ita æternus, immensus, omnipotens, est etiam infinitæ, bonitatis, justitiæ, misericordiæ, & sapientiæ.

9 *Qualisnam hinc existit Deus?*

Hinc est summé sanctus, perfectus, glorioſus, & in se beatus: atque adeo ipsa sanctitas, perfectio, gloria beatitudo *Apoc.* 4. 8. *Esa.* 14.

10 *quid sentis cum dicis credo in Deum?*

Credo Deum esse, & esse meum Deum, ipsumque cognosco prout se revelavit in verbo suo, & in ipsũ fiduciam omnem meam colloco, *Heb.* 11. 6. *Eph.* 1 17 1 *Cor.* 4. 6.

11 *Qualem se generaliter in verbo patefecit?*

Veracem & fidelem in dictis & promissis suis, & potentem ad ea præstanda, remunerandosque quærentes ipsum *Deut.* 7 9 *Rom.* 3, 4.

12 *Quid generaliter credis de Deo, ejusq; emanante operatione æterna?*

Credo

Credo Dei decretum, quo ab eterno omnia in tempore extitura præscivit,& ad certũ finem præordinavit,liberé & immutabiliter; *Eph*,1,11. *Esa*. 14 27,*cap*, 46.10 *Act*,2 23.

13 *Quid speciatim credis de hoc decreto?*

Credo Dei prædestinationem intelligentium creaturarum:quæ est ipsius æternum consilium,de spirituali earum statu & ultimo fine,*Eph*.1.11.

14 *Quibus partibus constat ea?*

Electione gratuita quarundam ex ipsis,& reprobatione reliquarum utraque promanante ab æterno a mera liberrima & justa dei voluntate, *Rom*.11 5. *cap*.9.13.18,19.

15 *Quibus gradibus pro nostro captu,constat* Electio *gratuita hominum?*

Prænotione Dei seu approbatione quorundam ex ipsis,pro suis ab æterno: deinde proposito suo ipsos in Christo adoptandi & salvandi,licét in Adamo creando lapsum iri cum reliquis prævisos,idq; in laudem gratiæ suæ *Rom*.8.29 1,*Pet*,1.2.20,

16 *Quis est prior actus reprobationis pro humano intelligendi modo?*

Desertio Dei seu rejectio & præteritio reliquorũ ab æterno,a participatione amoris æterni sui, nullo habito mali in ipsis respectu, ad testandam libertatẽ suam de suis creaturis agendi quod ipsi libitum est: *Rom*,11,15,

17 *quis est alter reprobationis actus?*

Damnatio divina rejectorum,ad justum æternũ exitium ob peccata ipsorum a Deo ab æterno prævisa: idque in laudem justiciæ suæ 1 *Pet*. 2.8

quid

18 *Quid ſolatij perciperet Chriſtianus ex hac electionis aterne & gratuite doctrina.*

Maximum certé, non inquirendo in eam anxié, ſed ſeduló utendo mediis, ipſam, ut fontem & primam ſalutis noſtræ cauſam confirmantibus *Deut* 29,26. *Luc*.10.20.

19. *Quid igitur faciunt qui ex præſumptione electionis ſuæ aut damnationis, media illa aſpernantur?*

Profané & ingraté ſe gerunt erga deum, ejuſque oblationem gratiæ & ſalutis: ſeparantes conjungenda. *Gen* 25.32 33. *Eſa* 5,7, 19.20.21,

20 *Qui iſtud fit?*

Idem Deus, qui pro gratuita ſua benevolentia, id eſt, juxta electionis ſuæ propoſitum, operatur in nobis ſalutem, nos etiam juſſit eam conficere:

21 *Ergone electionem ſuam de ſe crederet quiſq; vocatus ad gratiam?*

Maxime: quia quos ad ſalutem elegit Deus, eoſdem ad media ſalutis participanda præſtituit: unde qui horum participes ſunt ſimul amoris Dei immutabilis participes ab æterno ſe fuiſſe ſecum certò ſtatuerent *Eph*.14. *Math*,13.11,

22 *Iam quid credis primo de Deo patre?*

Quód a ſeipſo ab æterno exiſtens genuerit ab æterno filium ſuum ſibi coeſſentialem & æqualem *Pſ* 90.2. *Ioh*.1.14,

23. *Quid proximè credis de ipſo?*

Quód Deus pater in principio temporis per filiũ ſuum creavit omnia ex nihilo, & hominem ad imaginem ſuam. *Gen*.1.1.27. *Act*,4,24.

24 *Qua in re ſita erat præcipue hæc imago,*

In eo,quòd anima primorum parentum differta fuit ſapientiâ,ſanctitate,& juſticiâ ſeu integritate originali. Eph.4.24.

25. *Quid tertio credis de Deo patre?*

Quòd potentiâ & bonitate ſua ſuſtentet alat et foveat ſingula creata,

26, *Quid ultimo credis de ipſo?*

Quòd ſapientia,& providentia ſua gubernet omnia: adeoque lapſum Adami & Evæ,& peccata inde conſequuta tam originale quam actualia. *Iob* 38 24. *Pro.*15.7.*Ioh.*5.17.*Mat.*1030.*Gen,*50.20.*Ier.*20 7. *Lam.*3.37.*Pſ.*105.

27 *Qua in re ſitus erat lapſus ille?*

In eo,quòd primi noſtri parentes, libertate voluntatis ſuæ male uſi,& Diabolo auſcultantes, Dei mandatum tranſgreſſi ſunt *Gen.*3.13.17.*Ecc,*7. 16.

28. *Quid hinc obvenit ipſis & humano generi:*

Illi. tranſgreſſione iſta, ſe & omnem poſteritatem ſuam peccato,Sathanæ maledictioni Dei, & morti æternæ obnoxios reddidere, *Rom.*5.12.*Gen.*6.8.

29 *Quid eſt peccatum originale?*

Eſt depravatio nativa totius naturæ humanæ: & in hac,carentia boni ſeu juſticiæ originalis,& propenſio ad malum & actuale quodvis peccatum. *Gen.*6.3.5.*Rom.*3.9.11.12.

30 *quid primõ credis de Deo filio,*

Quód Ieſus Mariæ virginisfilius ſit æternus & unigenitus Dei filius: quódq; poſt aſſumptam ſe.nel humanam naturam, extiterit in una perſona, verus Deus & verus homo,unione perſonali ſine natnrarum confuſione, *Mah,*1.23.*cap,*3.17.*cap,*16, 7.

quouos

32 *quomodo & quando assūpsit humanam naturam?*

Credo, quòd in plenitudine temporis, conceptus sit a spiritu sancto Christus, in ventre virginis Mariæ, quem ipsa enixa est debito pariendi tempore Luc. 1. 35. *cap*, 2. 1. *Gal.* 4. 4.

33. *quid deinde de hoc Iesu credis.*

Credo, quòd ipse sit solus Redemptor, salvator, & mediator humani generis & meus, subjectus Deo patri, quâ talis. *Apoc.* 5. 4 *Act* 15. 11.

34. *quid credis de redemptione hominum?*

Credo, quód Christus electos homines omnes & solos, in peccato corruptos, morte sua ab eo, Sathana & morte æterna redemit ad serviendum Deo *Eph.* 1, 5. 7. *Coll.* 1. 14.

35. *Cur hic Iesus dictus est Christus:*

Quia constitutus & inauguratus fuit a patre súmus sacerdos, Propheta & *Rex* ecclesiæ suæ: quales personæ inungi solebant, dicique Christi seu uncti. *Psa* 45. 8. *Psal.* 2. 6. *Psal*, 110. 4. 5.

31. *quibus gradibus credis Christum Iesum officia hęc & nostram salutem peregisse?*

Primó credo ipsum nobis fidelibus natum fuisse purissimum & sanctissimū hominem, ut nostram fœdatam naturam in sua purissima pro nobis assūpta sanctificaret, & se idoneum pro nobis pontificē exhiberet. *Luc* 2. 11. *Ioh.* 17, 19,

37 *quis est secundus gradus nostræ Salvationis a Christo peractæ:*

Christus ut summus propheta, per se vel servos suos & Amanuenses revelavit nobis omnem voluntatem patris sui, de salute nostra acquirenda. *Ioh.* 1,

18,

18.*cap*,17.6.21.*cap*,8 26.

38. *quis est tertius gradus*,

Christus ut summus noster sacerdos & fidejussor, Dei legem per totam vitam suam pro me & reliquis fidelibus implevit:passusq; est mortem crucis pro nostris peccatis,& ante & post mortem assidue pro nobis intercedit *Psal*.110.4.*Math*,3.15.*cap*.17.

29 *quis est ultimus gradus salutis nostræ a Christo consummatæ?*

Resurrexit tertio die a mortuis,ut de morte & Sathana tanquam Rex triumphans, merita sua nobis applicaret *Mat*: 28.6.18.*Psal*.2.6.9.

40. *quid fecit Christus postquam per quadraginta dies confirmasset suam resurrectionem?*

Ascendit visibiliter cœlos,ut ibi regnum spirituale suum,in animos electorum iniens,dona sua eis dispensaret *Act*.1,9,*Ioh*.1,2.*cap*.16-7,*Eph* 4,8.10.11.

41.*quamdiu sic regens mansurus est in cœlis?*

Christus spiritu suo semper adest fidelibus interris.sed oportet ejus humanã naturam contineri cœlo cœlorum: adusque diem ultimi judicii.*Ioh*.18 7,11.*Phil*.1 23.*Act*1.11.*cap*,3.21.*Math*.24.30.

42,*quid exinde faciet Christus.*

Iudicio illo a se peracto, tradet regnum illud patri suo: cum quo & spiritu sancto,postea erit omnia in omnibus .2*Cor*.5,10,1 *Cor*.15,24,1*Tim*.4.1

43.*quomodo se hactenus sic regnantem exhibet*,

In eo,quòd suos verbo & spiritu suo ad gratiam vocat,adoptat, justificat,libertate vera donat, dirigit.tuetur,ipsorumque hostes debellat: *Coll*.1, 13. *Eph*,.11.12.

quid

Est effectus primus electionis divinæ, quo Christus per ministerium verbi invitans homines cujusvis status, ad gratiæ & sui participationem, vocationem hanc in electis vocatis efficacem reddit: generando in ipsis per illud fidem veram: quáipsi uniuntur. *Rom.* 8. 9 *cap.* 1. 6 *cap.* 10. 15.

45. *quid credis de nostri adoptione?*

Est secundus electionis effectus, quo Deus efficaciter vocatos, filiique sui personæ, per fidem insitos in filios suos adoptat, eisque ut filiis suis parcit. *Eph* 15. *Rom* 8, 16. 17.

56. *quid credis de nostri justificatione coram Deo?*

Est tertius electionis Dei effectus, quo Deus gratis proptér filii sui obedientiam ad mortem, remittit peccata omnia impio credenti, & huic imputat impletionem legis a Christo præstitam, ad jus vitæ æternæ obtinendum *Rom.* 3. 5. *cap.* 3.

47, *Cur asserit scriptura sacra hominem justificari gratis & fide solum.*

Quia tantum ex gratia est, quód Deus dignetur imputare nobis merita filii sui: nosque ea, non alia ratione nisi fide vera nobis applicare quimus. *Rom.* 3. 22. 23. 24. 25. 26. 27.

48. *qua in re sita est libertas Christiana.*

In eo, quód Christus suos a peccati & Sathanæ tyrannide, a rigore legis moralis, jugo item ceremonialis & traditionum humanarum, demum timore mortis liberat *Gal.* 4. 1. *cap.* 5. 1.

49 *quid inde sic vocato emolumenti redundat,*

Hinc talis efficitur Christi frater, coheres regni ipsius item

item fit spiritualis rex & sacerdos ad offerendum Deo sacrificia spiritualia per ipsum, *Ioh*, 20.7.

50 *Iam quid credis de Spiritu sancto*,

Quód sit tertia persona Deitatis a patre & filio ab æterno procedens, ipsis par, ab eisque distincta: ac proinde in ipsum ut verum meum deum, electorum & mei sanctificatorem & consolatorem, fiduciam omnem meam colloco, *Math*, 23.19,

51 *quid credis de nostri sanctificatione*:

Est quintus electionis divinæ effectus, consistens in mortificatione naturæ nostræ corruptæ conflictoria, hujsque vivificatione & reparatione ad imaginem Christi, 1 *Pet*. 1.2.2 *Cor* 4,10.

52. *quid credis de ecclesia universali*:

Credo ipsam esse sanctam & peculiarem societatem hominum electorũ ad vitã & coadunatorum in Christo capite suo, directorum spiritu & verbo Dei: meque esse vivum hujus societatis, & Christi membrum. *Esa*, 2, 22, *Ier*. 17.5.

53. *quo primo dono ornavit Deus hanc ecclesiam*:

Credo omnes qui sunt ex hoc cœtu habere communionem cum Deo, cum Christo, & inter se mutuó arctissimam & indissolubilem. 1 *Ioh*, 1, 3, 7.

54. *quo alio principali dono ditavit Deus hanc Ecclesiam*.

Credo omnes & solos qui sunt ex ea, habere a Deo remissionem omnium peccatorum, & justificari propter Christum huiusque merita.

55. *quo ultimo dono beavit Deus eandem*.

Credo eosdem solos tandem in Christo resurrecturos ad vitam, & plene animo, & corpore reunitis

glo-

glorificatum iri, *Luc.*14 14

56 *qua in re consistit hæc nostri plena glorificatio*

Est ultimus electionis Dei effectus, situs in plena fruitione & visione Dei conjuncta cum naturæ nostræ restauratione seu sanctificatione perfecta lætitia & gloria ineffabili, summaque & perenni fœlicitate,

57 *Num omnes, qui sunt in hac ecclesia potiuntur hisce donis?*

Hypocritæ in ea degentes, quia temporaria tantúm fide prædíti sunt donis istis orbantur. 1. *Ieh.* 2. 19. *Iob* 13. 16. *Luc.* 9. 62. *Math.* 13 19. 20. 21. 22.

I Am quid est precatio,

Est sancta seria & submississima invocatio Dei, in nomine Christi, pro omnibus rebus nobis necessariis: juncta cum exauditionis fiducia, *Iac*, 1. 6, *c.* 5, *Ubi habemus exemplar precandi. & summam rerum a Deo petendarum?*

In oratione, a Domino nostro Christo suis præscripta: dicendo,

Pater noster qui es in cœlis!

1, sanctificetur nomen tuum 2 : Adveniat regnum tuum. 3 Fiat voluntas tua,

4 Da nobis hodie panem nostrum quotidianum,

5 Remitte nobis offensas nostras, prout nos remittimus eis qui nos offenderunt.

6 Ne nos inducas in tentationem. 7, Sed libera nos a malo. Quia tuum est regnum potentia, & gloria, in sæcula sæculorum. *Amen. Mat* 6. 9,

3. *quot partibus constat hec prec atio*

tribus

Tribus: præfatione ad ipſam: deinde ſupplicatione ſeptuplici: demum gratiarum actione.

4. *Quid habetur in præfatione?*

In ea ſubſternitur fulcrum fidei noſtræ inter precandum.

5 *Quod eſt iſtud fulcrum?*

Paternus Dei erga nos affectus, & potentia plusquam ſufficiens ad preſtanda nobis petita noſtra, ut pote incolentis cœlum, *Math* 7. 9. 11. *Rom* 10. 12.

6, *Pro qua re primitus & abſolutè nobis orandum eſt*

Pro aſſidua glorificatione majeſtatis divinæ, idq; ex noſtra cognitione voluntatis ipſius revelatæ, *Pſ.* 119. 137 *Luc.* 1. 46.

7 *Pro qua re proximè & abſolutè precari debemus?*

Pro feſtinatione regni gloriæ ipſius, *Pſal* 24. *Apoc*, 22. *&c.*

8 *Pro qua re tertiò abſolute precandum nobis eſt*

Pro plena prompta, & ſincera obedientia hic exhibenda regno ſuo gratiæ, *Gal.* 1. 16. 2 *Cor* 1. 12.

9 *Pro quibus rebus ſecundariò & conditionaliter nobis precandum?*

Pro rebus neceſſariis præſenti vitæ, & ſtatui noſtro, in quantum Dei voluntas, & gloria, item ſalus noſtra ferent, 1 *Reg.* 8. 35. *Gen.* 28. 20.

10 *Pro quibus alijs rebus aſſidue, inſtanter, & abſolutè nobis orandum eſt?*

Pro remiſſione peccatorum, adeoque noſtri juſtificatione: pro ſubſidiis contra Sathanæ inſidias, adeoque noſtri ſanctificatione, & perſeverantia noſtra in gratia *Pſal.* 51. 4, *item*, 143. 2. 1 *Ioh* 2, 1. 2.

10 *Quomodo concludendæ ſunt nobis preces?*

Affectuosa laudatione Dei,& persuasione nos ab ipso adepturos quæcunque juxta voluntatem ejus petimus pro nostro bono, in nomine Christi: id quod innuit particula conclusoria. *Amen.*

FORMVLA CHRISTIANÆ EXAMINAtionis ante celebrationem cœnæ *Dominicæ*

Qu. 1, *QVo modo se prepararent communicaturi S. Cœnæ Domini, ad tam sacram actionem?*

Primò debent acquirere sibi cognitionem principiorum pietatis, & sacramentorum Christi: quò melius discernant ipsius corpus. *Eph*, 6.4. *cap* 1.18, *Psal.* 1. *Psal.* 119.

2 *Quid præterea hîc præstarent?*

Seipsos examinarent & probarent an sint in fide seu statu gratiæ, 2 *Cor.* 11.5. 1 *Cor*, 11.28,

3 *Qui homines sunt in statu gratiæ?*

Illi qui resipiscunt & credunt Evangelio *Mar.* 1,15

4 *Quî igitur peragitur legitimè hæc examinatio,*

Cum baptisatus adultus explorat, & renovat noticiam & praxin suæ in Christum fidei, resipiscentiæ suæ erga Deum, & charitatis suæ erga proximum, *Luc.* 7.38. *Act* 2.37. *cap.* 8.37.

5 *Quid est salvifica fides?*

Est speciale Dei donum, quo electus quisque vocatus ad gratiam, per Evangelium, hujus cognitas promissiones persuasione certa sibi applicat; Christumque cum ipsius meritis vere apprehendit ad salutem

lutem *Ioh.6.29.65. Eph 2. 8. 2 Thess.3.2.*

6 *Qua ratoine dignoscitur fides hæc inesse profitentibus eam?*

Ipsa donati, interius sciunt se eam habere ex S. Spiritus & sui Spiritus renovati testimonio: & per fructus exteriús se exerentes idem percipiunt, *Rom* 8.16. 1 *Ioh.* 2.20.27.

7 *Cur necessaria est hæc fides dignè communicanti?*

Quia sine fide nos in terris nequimus, inter communicandum, apprehendere Christum panem vitæ jam in cœlis: qui etiam ut per fidem inhabitat in nobis, sic per eandem se nobis comedendum in S. cœnæ legitimo usu offert, *Ioh*, 13. 36 *Act.* 3.21.

8 *Iam quid est respiscentia strictè sumpta?*

Est primus fructus fidei nos efficiens confiteri ingenuè peccata nostra omnia, & serio deplorare apud Deum: & simul pravitatem naturæ nostræ mortificare: Deum autem & pietatem unicé amplecti. *Act.* 11.1.8. 2 *Cor.*7.11.14.

Nonne respiscentia hæc præcedit fidem?

Circa respiscentiam tenenda sunt duo: præparatio ad ipsam, & ipsius gradus: illa quidem præcedit fidem: sed ipsa in suis gtadibus promanat a fide. 2 *Cor* 7 8. *Ez.*18.31.

10 *Quibus in rebus sita est hæc præparativa pœnitentia?*

In sensu peccatorum, in tetrore judicii Dei ob ea, & in compunctione conscientiæ: quæ efficiuntur in nobis prædicatione legis divinæ, unde pœnitentia ex ea lege, primo urgenda & prædicanda est. *Gen.*4,13. *cap* 42.21 *Exod.* 32.4.

11 *Qui gradus resipiscentiæ respiciunt peccata nostra præterita?*

Hi quatuor 1. pius dolor ob offensum eis Deum 2. *A*gnitio & deploratio ingenua eorum coram ipso 3 *A*rdens imploratio misericordæ ipsius, 4. Sensus ejusdem misericordiæ lætificans cor contristatum 2 *Cor* 7.10. *Psal*, 51.5 9.3.4 14.

12 *Qui gradus resipiscentiæ respiciunt peccandi nostram pronitatem?*

Hi quatuor 1. *A*bnegatio nostri ipsorum, 2 Subjectio animæ nostræ Deo, 3, Conflictus spiritus nostri regeniti cum carne, 4. Serium studium vitandi peccata. *Mach*, 16.24. 2 *Sam*, 15.26.

13 *Quis est individuus comes resipiscentiæ?*

Emendatio vitæ seu nova obedientia: quæ est opus gratiæ nos ad bona opera facienda corroborans, 1. *Pet.* 1.14.15.16 *Rom* 6.4.18.

14. *Quare resipiscentia necessaria est communicanti Cœnæ?*

Quia conscientia polluta peccandi proposito & obstinaciâ, polluit nobis usum rerum sanctissimarũ: neque veteres utres cordis resipiscere nescientis cõtinere queant novũ vinũ pretiosi sanguinis Christi *Rom*. 25, *Tit* 1:15.

15 *Iam qua in re consistit charitas christiana, circa quam communicans se exploraret?*

In condonatione injuriarum nobis illatarum, in tolerantia infirmitatum proximi, in unanimitate & sympathia cum ipso, & in fraterna dilectione, opere non verbo testanda aliis *Col*, 3.13. *Rom* 12 5. *Phil*, 27. *Act*. 2.4.6.

Qui

16 *Qui verificatur in nobis charitas esse talis?*

Per preces nostras ad Deum pro fratribus, per nostram ipsorum commendationem apud homines nostra item adhortatione, admonitione, consilio, consolatione, & opitulatione ipsorum, pro facultate & occasione nobis datis, *Col.*1.3.*cap* 2,5.

17 *Quare necessaria est charitas communicaturo?*

Quia is cujus cor nequit condonare aliis offensas contra se comissas, nec potest esse certus peccata sua a Deo sibi remitti. quin & sine ea nostra sacrificia coram Deo, vilescunt: *Math.*5.*cap.*18.

18 *Iam quibus mediis generat & confirmat Deus fidem & hos ejus fructus in nobis?*

Per prædicationem verbi sui, & administrationē sacramentorum novi fœderis. *Rom.*10.14 *Math.* 28 19.20, *&c.*

19 *Vbi habemus verbum Dei?*

Tantummodo in authenticis libris veteris & novi testamenti, a prophetis, Evangelistis & apostolis Christi conscriptis, *Ioh.*5.39. *Prov.*30. 3:

20 *Quid continent hi libri?*

Omnem voluntatem Dei revelatam, de salute nostra in Christo obtinenda, seu omnia ad salutem necessaria. *Luc.*16.29.2 *Pet*,1,11,

21 *Quæ est prærogativa horum librorum præ apocriphis libris, & cæteris humanis scriptis?*

Sunt divinæ inspirationis, originis, & authoritatis: plenæ perfectionis, veritatis, & certitudinis, denique sunt perspicuæ evidentiæ in necessariis scitu ad salutem, 1 *Tim.*3.16. *Apoc*,22.18. 19.

22 *Quid hinc omninô consequitur?*

Quód libri hi canonici legendi & credendi sint ab unoquoque è populo Dei, tanquam testimonia Dei, vox Christi ovibus ipsius auscultanda,& regula fidei & morum observanda, *Ios.*1,8:*Ioh.* 5.39.

23 *Quinosti libros illos esse verbum Dei?*

Spiritus Christi quem Deus promisit omnibus credentibus in se,me ejus rei certificat:& efficit nos scire ea quæ sunt Dei.1 *Cor.*2.5.10.12, I *Ioh*,2.20.

24 *Quomodo igitur audiendum est hoc verbum lectũ & predicatum?*

Maximo cum ardore,reverentia,& attentione, cum fide etiam discernente,& approbante quæ sunt spiritus Dei:eique voluntas & conscientia prorsus submittenda, ipsum denique est memoriæ firmiter infigendum, *Luc.*10.39.*cap* 24. 32.

25 *Iam quid est sacramentum?*

Est sigillum justitiæ fidei,obsignans credentibus fœdus Dei gratuitum in Christo initum: & confirmans fidem nostram in ipsum, *Gen.* 17 11, *Rom* 4.11 *Gen* 17. Exod 13 9.

26 *Quot sunt requisita in unoquoq; Dei sacramento?*

Hæc quinque, signum, 2, Ritus huic adjuncti, 3 Res per ea significata & oblata,4, Vnio signi & signati in legitimo usu,5. Vt instituantur ab illo,penes quem est dare rem significatam,*Gen* 17, Exod,13. 9.16.*Math.*18.19.*&c.*

27 *Qualisnam est hæc unio signi & significati?*

Non est localis neque realis,sed tantum sacramẽtalis, & relativa apta illustrando fini sacramentorũ typicâ proinde & translata loquendi formâ exprimi solita *Gen.*17.11.*Rom* 4.11.

quot

28 *Quot ſacramenta inſtituit Chriſtus ecclesiæ ſuæ?*

Duo: Baptiſmum, tanquam ſignum initiationis noſtræ in illa, & inſitionis in illum: dein cœnã dominicam, ſignum manſionis & nutritionis noſtræ in eadem & in ipſo *Math.* 26 19 *Act* 2.38

29 *Quid eſt baptiſmus?*

Elt prius ſacramentum ſolenni aquæ aſperſione in nomine Patris, Filii, & ſpiritus S, obſignans aſperſo credenti remiſſionem peccatorum, & regenerationem ipſius. per ſanguinem effuſum & ſpiritum Chriſti, *Marc*, 1.4 *Luc*.3.3.

30. *Quî poteſt aſperſio aquæ illud præſtare?*

Illud efficit non ex ſe, ſed ex Chriſti mandato & promiſſione hac creditis. Baptizantes eos in nomen Patris, filii & ſpiritus S, *Qui crediderit & baptiſatus fuerit ſervabitur. Math*, 28.19.

31 *Cur ſemel tantùm converſi ad Chriſtum eorumq; liberi baptiſantur?*

Quia Baptiſmus eſt ſigillum inſitionis noſtræ in Chriſtum, quod ſemél tantúm fit: & fœderatis omnibus, ac proinde fidelium liberis dandum eſt: juxta illud. *Ero Deus tuus & ſeminis tui, Rom*. 6.3.5, *Act*. 2,39 .*cap*.16.*&c*.

32 *Quid eſt cœna dominica?*

Eſt alterum ſacramentum Chriſti, obſignans, ſolenni participatione panis & vini conſecratorum & diſtributorum, participantium illis fidelium animis ſuſtentationem ipſarum ad vitam æternam, virtute corporis in cruce fracti, & ſanguinis effuſi Chriſti. *Math* 26.27. *Marc*: 14.22.23.24.

33 *Qnomodo poſſunt panis & vinum hoc obſignare?*

Iſtud

Istud faciunt, non ulla sua efficaciâ, aut transsubstantiatione mirificantium ficta: sed tantum mandato Christi observato, & promissione credita,

34. *Recense mandatum & promissionem hanc?*

De pane Christus dixit, *Accipite, comedite, hoc est enim corpus meum, quod pro vobis datur*. de poculo *hoc est sanguis novi testamenti, bibite ex eo omnes*: de utroque. *Dividite inter vos & hoc facite in mei recordationem Math.* 26, *Marc* 14.

35 *Cur frequenter debent Christiani adulti communicare huic sacramento?*

Quia reiterata animæ & fidei suæ corroboratione Christo insitis opus est: cujus corroborationis frequens cœnæ Domini sumptio est confirmatio *Rom.* 6.5. *cap.* 1.17.

37 *Cur insuper sæpiuscule reiteranda est hæc actio?*

Vt sic celebrando & recolendo mortem Domini in ejus communione, & mutuo inter nos amore crescamus: & hac tesserâ nos in fœdere gratiæ esse testemur. *Luc* 22.19, 1 *Cor.* 11

38. *Num omnes sacramenti hujus participes fiunt & Christi?*

Christo per hanc actionem participant soli veré resipiscentes fideles *Ioh.* 5. 35, 36,

39 *Quid igitur signorum participatione captant increduli?*

Horum sumptione, sua absque fide, sigillo hoc fidei abutuntur, fœdus Dei & Christi sanguinem per sigillum illud significata & oblata profanant, *Rom.* 2 25. 1 *Cor.* 10.

40 *Quid inde obvenit ipsis?*

Sic

Sic ſuam condemnationem ſibi, in in credulitate manentibus obſignant,

40 *Cur hoc?*

Quia Dei gratiæ illic oblatæ præferuut ſua peccata; quæ ob eam nolint relicta, Deoque promittenti ſic diffidentes,eum mendacii & ludificationis, quantū iu ſe eſt,arguunt. *Math.*19. 22.*cap*,2 2

41. *Iam quid inter participandum agere debet ſic ſe præparans?*

Perpenderet & in memoriam ſecum revocaret ſerio & ſolummodo, in externis ſignis & ritibns ſingulis, Chriſti crucifixionis modum,paſſiones varias & fructus *Luc.*22,19.

42. *Quid ſtatim poſt ſumptionem ab ipſo preſtandum eſt?*

Toto corde & ore laudaret Deum,pro præſenti oblatione,& perceptione gratiæ ejus, meriti mortis Chriſti,& efficaciæ ſpiritus ſancti:ſecumque voveret obſequi poſthac ſinceré, prompté, & conſtanter tam gratioſæ divinæ Trinitati in æternum benedicendæ,*Pſal.*103. 1 2,*Pſal.*16.1.12.

Atq; haſtenus Pœdagogiæ moralis pars prior:ſequitur pōſterior de civilitate morum.

CIvilitas morum eſt laudabilis corporis & convetſationis,ad honeſtatis decorū ordinatio. Ejus proinde duæ ſunt partes:quarum prior præcepta tradet recte ordinandi membrorū corporis & geſtuū.altera,probæ conveſationis puerilis documenta præcipua ſuggeret.

Obſ Prioris gradus,quâ pueros reſpicit ſunt hi ſeptem,primus eſt civilitas ſervanda circa membra corporis;2,Circa veſtitum 3.Infrequentandis ſacris;4,In ſchola,5,In luſibus6,In convictu 7In cubiculo & lecto,

Mag

Mag. Recita & in praxin redigere curato primaria præcepta decora ordinationis corporis?

Pu. Cum vultus conſtitutio, ſpeculum ſit compoſitionis animi: oculi imprimis ingenui adoleſcentis ſint placidi & verecundi: facies hilaris & gratioſa, animũ modeſtum & ſedatum, non turbulentum præ ſe ferens: juxta illud---*Ante omnia vultus acceſſere boni.*

Sint exporrecta ſupercilia, non ſublata in altum (quod eſt ſignum arrogantiæ) nec in oculos depreſſa quod eſt malè cogitantium.

Frons ſit explanata non rugoſa (quod eſt ſignum torvitatis) ſed ſerena, mentem ſibi bene conſciam & ingenium liberale arguens.

A naribus abſit mucoris purulentia: ſtrophiolis proinde, non brachio, tunicæve ora excipiendum eſt narium excrementum: idq; pauliſper averſo corpore, ſi qui adſint honoratiores.

Malas tingat nativus & ingenuus pudor: qui cum intentior eſt, moderandus erit frequentatione conventuum, vbi colloquia cum gratia conſeruntur.

Os nec prematur nimium, nec hiet: (ſed leviter oſculantibus ſe mutuo labijs ſit conjunctum.

Si fors vrgeat oſcitatio, eructatio, aut ſternutatio, nec datur averti: ſtrophiolo, volave tegatur os: nam quantum fieri poteſt, clam alijs eructandum eſt.

Nec mordeto labrum, nec ſcalpito caput, nec fodito aures coram alijs.

Vomiturus ſecede; nam vomere turpe nou eſt, ſed ebrietate, aut ingluvie vomitum accerſiſſe deforme, & enorme eſt.

A-

Aversus exspuito, ne quem aspuas, aspergave: excrementa verò oris & narium purulentiora prompte in terram projecta conculcato.

Dentium mundicies curanda, eos pura aquâ manè & potu aliquo post sumptum cibum proluendo: si quid ijs inhæsit, osciculis aut calami cuspide, non cultro aut vnguibus eximendum est.

Superioribus dentibus labrum [redacted] premere minitantium gestus est: scurrile verò [redacted]orum oras linguâ circumvolutâ subinde lambere.

Risus sic hilaritatẽ exprimat; ut nec vultus habitũ, rictu oris late diducto dehonestet, nec cahinnos levẽ ob causam excitando, animum dissolutum arguat

Rusticanum est impexo esse capite, magis tamen subinde scabere caput antè alios: absint sordes lendium, & pedicnlorũ: pectendo subinde crines radijs pectinis rarioribus, mox densioribus.

Coma nec frontem tegat, nec humeris involitet, nec reliquâ abrasa, cæsaries longior ad auriculas excrescat, levitatis non nobilitatis index.

Cervix nec in lævã nec in dextrã partem vergat.

Inflectere cervicem & adducere scapulas pigritiæ speciem habet.

Humeros oportet æquo libramine temperare, non more antennarũ, alterũ attollere, alterũ deprimere.

Molliter curvatis brachiis, & complicatis manibus stantem puerum esse decet: utrumq; etiam brachium in utrumq; femur dimittere inter repetendũ aut respondendum, ei laudi datur.

Truncum corporis tunc erectum, non incurvatum nec resupinum habere adolescentem decet.

Pu-

Pudenda citra neceſſitatem detegere, diſſolutam indolem arguit, quin vel urgente neceſſitate, ſumma cum reverentiá id agendum eſt, etſi nemo teſtis adſit: nunquam enim non adſunt ãgeli, quibus eſt gratiſſimus pudor, comes cuſtoſq; pudicitiæ.

Lotium ventriſq; flatum remorari valetudini noxium cenſetur: ſecreto aut ſeorſum reddere verecundum, ſedenti genua ſtanti pedes modice diducantur ſedentem pedibus ludere, aut manibus geſticulari, levitatis jndicium eſt.

In geniculatione, alius apud alios mos viget, apud noſtros jam maxime commendatur, modulato corporis circumactu dextrum pedẽ inflectere mox ſiniſtrum: ſed puero dextrum dumtaxat retro incurvare plauſibiliùs habetur.

Denique inceſſus noſter nec fractus eſſet, nec præceps, nec vacillans, ſed æquabiliter procederet.

Ma, Quæ circa veſtitum civilitas puero ſervandâ?

Veſtem homini primitus ad tegendam ipſius ex primævo lapſu nuditatem: mox ad depellendum a tenero corpuſculo frigus uſurpatam eſſe, poſtea ad ornatum retentam eſſe ideo ſcias mi puer: ut cujuſvis veſtis uſus, tibi humilitatis & modeſtiæ ſuggerat argumenta.

In veſtitu, altero animi jndicio, multum natalis ſoli conſuetudini tribuendum: ergo facultatum, dignitatiſque modo, & mori gentis congruenter, adſit cultui tuo mundicies, nec luxum, nec faſtũ arguens.

Cave manicarum oras narium muco, veluti tectorio incruſtare: diſſecare verò veſtem, aut picturatis veſtibus uti, aulicis magnatumque aſſeclis & morionibus relinquito.

Si

Si quid elegantioris cultus dedere parentes, ne te aliis ostenta more pavonum: alii te mirentur, tu te bene cultum esse dissimula *Nam quo major est fortuna, hoc amabilior tua modestia erit.*

Galerum aut pileum recte capiti tuo imponito non ad alterum latus ipsum attollens: eumq; prompte,& hilariter obviis quibuscunq; alicujus notæ aperire memento,

Pallium humeris tuis imponatur æquabiliter,non oblique, & circumvestiat te non sub axilla involutũ (nisi sit tenuioris fili,sed utrinq; pariter dependens

Memento galigas tuas thoraci apte alligare: subligaribus tibialia tua ad poplitem decenter colligare,zonâ limbos cingere, calceos recte pedibus aptare,bene tersos nigratos & astrigmentis nexos.

Togam(si datur)civiliter induito,& circumserto, brachia per ipsius manicas inferens,& ipsam ejusq; fimbriam talarem aspurcitie mundam conservans.

M. Indica tertió quæ in templo pueris decentia exprimenda est?

Cum omnia in domo Dei decenter & religiosè fierent,templum ingressus pro concione, ne obambula tanquam in porticu aliquo triviali sed sedem tuam accedens, nudato capite, incurva illic teipsum & ad Deum mentem tuam erigens operto vultu. Ipsum obnixe roga,velit peccata tua propter Christum filium suum condonare: Ob ea/.ipsumq; illis offensum,te dolore pio compungere,fidei obedientiam verbo predicando largiri, cor tuum omni malitia & mundanis cogitatibus purgare,teque totum sanctificare,quó fias templum spiritus ipsius, sacrificium

cium vivum, rationale, & Deo acceptum,

Memento publicis precibus (quantum per ſtudiorum vacationem & ſcholæ licentiam licebit) intereſſe & participare: ipſas applicans animo tuo, ex ore precantis publice effuſas, & cum reliquis auditoribus ſubmiſſe & affectuoſe exprimens,

Cantionum ſacrarum ne ſis incurius ſed ipſas cum reliquo conventu dulci vocis modulatione (ſi valeas) & ſimul harmoniâ vocis cum mente, vociſq; tuæ cum relquorum concentu reverenter eructa.

Ad concionantem ſpectent oculi tui immobiles huc etiam attentæ ſint aures, huc inhiet animus omni cum ardore hauriendi ei cibum: & præconem agnoſce pro Dei legato, voluntatem legantis, juxta ipſius præſcriptum nobis exponente.

Si verò brachygraphiâ, aut volubili ſcribendi forma vales: excipe & inſcribe codicillis tuis præcipuas concionis habitæ notas,

Denique finita concione & publico cultu divino modeſtè locum tuum relinque: cum reliquis templum egredere, ſine tumultu, curſu aut præcipitantia

Pu. *Edoce quartó, quæ nobis pueris, in ſchola civilitas & morigeratio exprimenda eſt?*

M. Horas conventui ſcholari præſtituras præciſe ſervato vel potius antevertito.

*In*greſſus ſcholam mane, nudato capite, accedito claſſem tuam, ſedemque inibi captans, ſerio clam & paucis precare Deum, pro benedictione ſtudiis tuis obtinenda: mox te accingens libenter ad librum, incumbe primitus mandando memoriæ penſo matutino: deinde eo, elata voce repetito, attente, auſculta

prælect

prælectionis tuæ & inferiorum interpretationi: tuæ que expositionem (saltem phrasium ipsius illustrationem) inscribito codicillis tuis.

Deinde eandem illam interpretationem & illustrationem publicé habitam tu privatim gnaviter cum condiscipulis, saltem uno aliquo confer: mox incumbe ediscendis prælectis tuis.

Pomeridiani temporis partem compositioni, aliam translationi, reliquum mandandis memoriæ repetendis, publice construendis, & discutiendis illius diei prælectis impende.

Repetiturus stato erectus, manibus genua versus dimissis: responsurus, examinantem te obtutum intuere, inter repetendum neç lingua præcipiti, nec sis nimis tarda: sed distincte clare & articulate profer to quæ publicé legis, repetis aut respondes

Scholasticus neutiquam perreptaret scholam, nec loco suo egrederetur, nisi rogata prius veniâ, aut a Doctorum aliquo illinc evocatus: nec classem suam in sede permanens nugis rixisve turbaret.

Disputaturus publicé aut privatim, ne desultorié te gerito: neque insolenti & thrasonico gestu adversarium oppugna, ipsum potius informare quàm protelare studens sic enim pulchrius vinces

Quæin prælectis non intelligis, aut de quibus dubitas, intrepide & solicité doctiores teipso, vel potius Doctores tuos consulito: quos quæstionibus in schola obtundere conducibile maxime puero philomuso habetur:

Imprims mi puer, cave te refractarium aut obloquiloquum monitis & promeritæ correctioni precuntium

cuntium prebere: hujuſmodi procacitas & con
macia, eruditionis fruſtratione aut damnoſa inte
ruptione (deplorari poſt ſolitá) ſa piuſcule puni
Optati profectus magna cenienda remora, int
publicas repetitiones & examinationes, proxim
repetenti aut reſpondenti, quicquam a ſocio ſugge
ri: proinde a tam noxio cacoethes ſcholaſticis ab
ſtinendum,

In claſſe ſodalem ſugillare, loco pellere, percutere
calcare, pungere inſolentem naturam arguit, modo
ex habitu fiat, & nuſquam non ſcurrile ducitur: ac
proinde caſtigatione ſevera reprimenda eſt
talis inſolentia, ſicut & convitijs ſocium proſcin
dere, aut ipſi exprobare progeniem nævos aut quæ
cunque odioſa dicta: item frivole jurare, dejerare
aut execrari.

Deniq; ſcholaſticis imprimis laudi datur, in publi
cis ſcholæ precibus quam reverenter & religioſe ſe
gerere, & in precando geniculari: ergo diſſolute aut
profane inter precandum ſe gerentes, & inter ſtu
dendū pertur bantes ordinem prudenti, quibus inter
eſt correctione animadvertendum erit.

*Pu Sequitur ut edoceas quæ inter ludendum civili
tas ſcholaſticis obſervanda eſt?*

Mag In luſibus liberalibus puer hilaritatem & a
lacritatem exprimeret ingenuæ indoli congruentē
abſint procacia, petulantia & pertinacia rixarum pa
rens; abſit dolus, altercatio & mendacium: ab his e
nim rudimentis ſæpe ad vulnera et cædes devenitur

Pulchrius vincit qui cedit contentione, quam qui
palmam obtinet: proinde arbitris ne reclamita

Puer

Puer ingenuus in lusu non minus, quam in schola modeste se gereret & honeste, nihil turpe aut impudicum exprimens: nam animi & corporis recreandi gratiá pueris conceditur lusus: quó ille studiis satiscens respiret, novasque vires, ad hæc rite obeunda acquirat: hoc vegetius & alacrius ad menti servien-dum reddatur.

*A*learum chartarumque ludos & cætera sorti obnoxia exercitamenta fugito, in hujusmodi quippe (ut plurimum) non viget ars sed fraus, nec habet locum ratio sed casus: nec alius tandem inde manat fructus, quàm luctus, lis, & jactura bonorũ: utcunque quidam veteratoria earum dexteritate opes sibi amplificasse autument.

Concessa ludendi veniâ, puer primus campos aut inter primos petereret, & inde ad scholam publica revocatione jussus tam prompté rediret: nullá interea eundum, ludendum, redeundum sodales injuriâ afficiens; nec se in campis a grege scholastico subduceret, minus urbem (si ibi instituatur) perreptaret, nisi ab aliquo, cũ præceptoris venia, accersitus.

Vltimò præcipe, quod nobis inter convivandum item in cubiculo clanculum decorum exprimi debeat?

Mag In convivio convictuque, puer graviter pro ætate se gereret absque petulantia, & corporis agitatione: nec nisi lotus, præfectis etiam unguibus, flexoque poplite salutatis convivis, mensæ accumbat.

Jussus consecrare mensam: mentem, vultum, manusque ad religionem componeret: distincte, clare & cum affectu consecrationem mensæ, & gratiarum actionem, post sumptum cibum concipiens.

Sedis honorem alteri libenter cedat, & ad ho
rationē mensæ locū invitatus verecūde obtempe
Accumbens puer, utramq; manum super men
haberet, nō conjunctim tamē, sed in orbis utrum
latus: cubito verō vel altero vel utroq; mensæ inn
ti, non nisi senio morbove lassis permittitur. Co
pus in mensa æquo libramine sit erectum.

Cum honoratioribus puer accubiturus, aperto c
set capite, nisi aliter alicuius ex convivis dignitat
præstantis authoritas ipsum tegere caput velit.

Mantile ad inguen supersterneret: a dextris ei ad
sit cultellus escarius, ad lævam panis: quem eo seca
ret decenter, non in frusta ipsum sūmis digitis re
vellens.

Cunvictum non statim a poculis auspicetur, nec
statim post sumptam ex jure offam, minus post la
ctis esum, idq; (quantum fert valetudo) de tenui ali
quo potu. juxta illud: *Non nisi lene decet vacuis*
committere venis.

Antequam bibat, præmandat cibum, ipsoque eva
cuet os, absterfis priús labiis: inter bibendū ne reto
tis oculis alios intueatur.

Primus cibum appositum ne attingat, si cum ma
joribus accumbat, postremus, neq; id nisi invitatus

Digitos in jusculenta, aut condimenta ne immer
gat, sed offæ portiunculam cultri mucroni infixam
istis intingat: & de coctis, assis, aut conditis sectis
partibus, delicate tollat cultello, aut primis duobus
digitis pollici admotis quod velit, & coram se pro
stat: inter secandum infimos duos digitos deprimēs

Si quid in os ingestum est, quod deglutire non ex
pedit, clàm. averso vultu, & ore mantili velato in
terram

ferram projiciat,

Digitos unctos vel ore & labiis prælingere, vel ad tunicam abstergere caveret: mantili id faciendū erit.

Si quis alius cibum ipsi porrexerit minutiorem, porrecto orbe accipiat, agens gratias: si verò quod oblatum est minus suo stomacho congruat, caveret tamen recusare, sed acceptū in orbis angulū seponat.

Panem prærosum iterum in jus immergere, aut cibum ambesum & ossa sepositа repetere, & denuo dentibus arrodere, vitio datur.

Tres digiti salino impressi agrestium habentur insignia: proinde puer cultro sumat salis quantum sufficit: & si longius absit salinum, porrecto orbe peteret.

Carnem prius minutim & decenter in orbe suo dissecaret, mox addito pane, simul aliquandiu mandat, priusquam in stomachum trajiciat, id enim non tātum decorum sed salubre habetur.

Ore pleno bibere aut loqui nec honestum nec tutum est: inurbanius adhuc oculis diutius intentis aut circumactis, observare quid quisque comedat aut bibat, sed maxime incivile, transverso intergum capite contemplari quid rerum geratur in domo.

Puer cum natu majoribus accumbens raro loquatur, nisi aut cogat necessitas, aut abs quopiam invitetur: lepidé tamen dictis modicè arrideat, obscœnis nusquam.

In convictu nihil ei effutiendum, quod offuscet decorum aut hilaritatem: absentium ibi famam lædere piaculum: vituperare quod appositum est, ingratum censetur.

Quod ibi fit diciturve vino inscribat, juxta ve
hoc proverbium: memorem compotorem oder
omnes.

In mensa inter respondendum aut propinandum, c
put tectum more gallico retinere civilius & co
sultius habetur, ne forte illud detegendo, pili capi
tis aut aliud inde excrementum in quadram aut po
culum incidant.

Si quid inter epulandū a quopiam fit rusticius pe
imperitiam, civiliter dissimulandum, non irridendi
puero erit, nam convivatores decet vrbana liberta

Denique in mensa non hæreret ad convictus finem
si illud prolixius fuerit: nisi forte conserantur ser
mones de literis aut literatis: sed comesto quod sa
tis est, surgeret, & flexo iterum poplite salutatis cō
vivis, secedat aliquó a mensa, donec gratiarum actio
celebrata fuerit.

Quod munus si ipsi impositum fuerit: stans ante
mensæ meditullium, complicatis ad pectus mani
bus, elata voce agat gratias Deo, prout in schola, aut
superius edoctus est.

In cubiculo vero commendatur in puero silenti
um, & verecundia, clamor & garrulitas ibi indecora
habentur.

Lectum puer petiturus, pensum prius scholasti
cū sequentis mane aliquoties relegeret, sic cras me
lior ei suppetat prælecti reminiscentia.

Sive cum exuit se, sive cum induit aut surgit, me
mor verecundiæ, nihil nudaret sociorum & accum
bentium oculis, quod mos & natura tectum esse vo
lit; neq; occasione loci erumperet in dictum aut fa

ctum

ctum quodvis turpius, nam cum angeli Domini excubias ſemper ſuper nobis agant, cogitet ſe illos habere teſtes actionum ſuarum externarū maxime ſecretarum, imo Deum vbiqve præſentem vindicem, ſi inſolenter & impudicé ſe clam geſſerit.

Si cum ſodali lectum puer communem habet, illum ingreſſuri uterque, ante ipſum genibus flexis precétur Deum ut ſūperius traditum eſt: idem facerent mane primū ſurgentes, primas animi cogitationes & vitæ diurnæ acta Deo dicantes: nec enim queant ab omine fœliciore auſpicari diei penſa.

In lecto puer quietus jaceret & taciturnus, ſine ſtrepitu, vociferatione, garrulitate, aut agitatione corporis: nec ſe aut ſocium ibi denudaret, ſtrata lecti evolvendo, nec illum moleſtaret ex occaſione ſoli: udinis loci. *Atq; hæc de civilitatis puerilis parte priore*

Pu. *Tandem quæſo, mi Præceptor. de converſationis puerilis civilitate præcipias, quæ nobis profutura cenſes.*

M. MEmento mi puer omnibus alicuius notæ obviis locum cedere, & aperire caput iuxta hoc Dei mandatum, *honore alii alios prævenite.*

Cum majoribus loquere paucis & reverenter, cū æqualibus comiter, cum inferioribus amanter: interloquendum cum illis, galerum dextra leviter admota pectori ſiniſtrorſum teneto.

Oculi tui intente ſpectent eum quem alloqueris, nihil procax improbumq; præ ſe ferentes: trāſverſū vero vel oblique tueri, geſtus eſt averſantis, ſicut & inconſtantis animi, vultū oculoſq; huc illuc volvere.

Nihil in congreſſu adoleſcentum cum quibuſvis,

verecundia gratioſius cenſetur: quam candore ſu-
ſus rubor, velut ornatus commendat.

In colloquio cum alio, vox tibi ſit ſedata, ſed no-
ita preſſa ut nō perveniat ad ipſius aures, ſermo tu-
diſtincte non confuſe, aut præcipitanter proferatur.

Inter loquendum nec caput quaſſato, nec ſint geſti-
culoſæ manus, pedeſve: ſubinde vero titulum ejus
quem compellas reperito, tunc etiam truncum cor-
poris æquabiliter moderator.

Cum alloqueris parentum tuorum utrumlibet qui
ſubmiſſe te gerito: valde laudabilis eſt mos Angliæ:
quo, liberi ad primum parentum occurſum, coram
ipſis proſtrati poſcunt ipſorū benedictionem: quod
faxit Deus reliquæ gentes imitentur.

Obſcœne dictis nec linguam nec aures præbeto:
quicquid enim inhoneſte nudatur oculis hominum
idem indecenter uſurpatur lingua, & ingeritur auri-
bus: proinde ſi res exigat, ut aliquod membrū puden
dum, aut aliud nauſeam movens nominetur, circui-
tione rem notato, prælato prius auribus honore.

Si quid refellendum eſt, cave dicas *mentiris*, talis
quippe contradicendi diabolica procacitas maxi-
marum cladium inter adoleſcentes nobiles, præſer-
tim Gallicanos, extitit: unde duellorum læthiferorū
fœcunda ibi promanavit ſtrages: Sed tu hac utere
excuſatiuncula: *Pace tua mihi aliter narratum aut
perſpectum eſt.*

Vera ſemper candide proferre adnititor, æquivocis
ſeductoribus relinquens pythonicā diſſimulandi &
æquivocandi formam: quin & ullatenus perplexe,
intricate, doloſe loqui & tergiverſari diabolicum.

Im-

Improborum ſodalium & meretricum commercia, ut peſtem effugito: nam ut contagia ex converſatione & contactu in corpus, ita vitia, pravis fœdiſque ſermonibus & actionibus in animum tranſeunt; eumq; contaminant: juxta illud ab Apoſtolo & Salomone citatũ. *Corrũpunt bonos mores colloquia prava. Et eripe te ab extranea nam propendet ad mortem domus eius.* Prov. 5.

Vt autem laudem ſine invidiâ invenias & amicos pares, aſſuelcito ſocios perferre ac pati, eorum obſequi ſtudiis modo honeſta ſint, adverſans nemini, nec te præponens paribus, minus majoribus.

Cum nemine ſimultatem ſuſcipe, ſed cede potius de jure tuo, ſi res ad jurgium deveniat: aut ad arbitrum provoca: eſt enim non tantum generoſi & modeſti animi, ſed & renovati indicium, a liis in bonum, non ſibi ſuiſq; affectibus indulgere.

Nullius inſtitutum reprehendito, nullius famæ obtrectato, nec mores denigrato: nulli exprobres vitium ipſius aut parentum & agnatorum ejus, ipſis a natura inſitum: id enim inhumanum & contumelioſi jure habetur: ne probro afficias revertentem a peccatis, memento nos omnes eſſe infeſtos increpationibꝰ ſalacibus: nec dedecore afficias ullum de ſenectute ipſius, reverenda eſt canities præſertim ornata intus pietate & juſtitia.

Qui compos eſt linguæ ſuæ, cum altero ſine pugnis traducet vitam, proinde ne repetas ſermonem malum, audiviſti talem, moriatur apud te. & non erit tibi detrimento. Homo aſſueſcens ſermonibus probroſis nunquam erudietur: & qui multum jurat plenus

nus est iniquitate, nec abscedet a domo ejus flagellum. Ne voceris susurro, nec lingua tua alteri insidiator: nam furi inest damnosa turpitudo, sed bilingui adveniet pessima condemnatio.

Ne de progenie tua, ingenio, aut opibus parenti ita blanditor, eave sic jactitato: ut præ illis alium aut aliena despicias.

Inanem eruditionis acquisitæ persuasionem exuito: nihil enim magis peritiæ maturitatem remoratur; quam tempestiviùs arrepta & fota magnæ eruditionis opinio: quæ eam foventem longe intra metã subsidere efficit. Et quia ætas adolescentiæ prodiga est, ut plurimum, temporis; tu florem & vigorẽ tuæ, gnaviter insumito bonis artibus, præsertim studiis literarum: si ita fert parentum voluntas, tibique arridet ingenii acumen: quæ studia utcunque laboriosa inter obeundum videantur, jucunda tamen & commoda senectuti otia præbere solent.

Ne in multis occupentur actiones tuæ, sed uni vitæ generi maturé te addicito: nã si multis incubueris, aut minimé consequeris ea, aut non eris innocẽs Nunquam in animum inducas alienæ calamitati insultare, ei potius condolescito: illæ enim sunt vices rerum humanarum, ut quod cuiquam accidit, cuivis contingere possit.

Alienarum rerũ ne sis curiosus observator, nec percontator: in hoc satius incumbens, ut teipsum intus & extra excutias & corrigas; quã ut aliorum mores & facta inquiras aut reprehendas,

Ne cui credas quod tacitum esse vis: saltem tutum erit vel intimo amico nihil cõmittere, cujus te pudeat, si proferatur

Ne

Ne quoſvis ſine diſcrimine in familiaritatẽ tuã admittito:equidem ut omnibus fidũ & benignũ te prebere decet,ita nec cuiquã temere fidere, niſi cũ quo diutinum vitæ conſortium habueris,cujuſq; taciturnitatem & fidelitatem probe perſpexeris.

Et quia humanæ naturæ ad ſocietatẽ creatæ & propẽſæ conſentaneũ valde eſt ſodalicitiũ:cum eo tantùm de intima amicitia paciſcere, qui eſt timens Dei & ſympathia vere chriſtiana tecum afficitur. Omnino conſtringitur qui ſpondet pro extraneo, qui autem complodentes odit, ſecurus eſt *Prov.6.* Si ſenſeris inter aliquos ſecretius oriri colloquiũ, ſubmove te paulum,nec te in iſtud ingere,niſi accerſitus. Quidam reſpondent, priuſquam abſolvat compellator, ſed reſpondenti aliquid quod nondum totum audiverit,id ſtultum ei eſſe aſſerit Salomon. *Pro.*18.

Quando benefacies cognoſce cui:nec tam munificò quàm viro pio,docto item egenti benificentiã tuam exere:quí noſti,quin hic, ea ſublevatus nomen tuũ ad poſteritatem tranſmiſerit.

In converſatione tua maximum ducito civilitatis momentum ſociorũ mores inconditiores tolerare: modó tua tolerantia ipſum ad virtutis gyrum revocare queas:nec tamen in gravioribus ejus dilectis ei conniveto;ſed ſerió ipſum de illis coarguens, ipſius conſcientiam compungito. quoad ipſa oderit Deniq; quæcunq;laude digna in aliis vides & obſervas:tu eadem pro virili imitari adnititor:ſic parentibus ſolatio,magiſtris & patriæ honori, tandem Deo benedicente futurus es. *Atq; hæc de Pædagogia morali,quantum ad dirigendam in pietate & probis moribus juventutem ſufficerit.*

Par-

PARÆNE'TICON,

Pro digna & tempestiva celebratione Cœnæ Dominicæ. Dicatum D. Georgio Sibbaldo Medico egregio.

QVem verè offensis dolet irritasse Iehovam,
Sincero & fratrum pectus amore replens,
Confidit Domini merita infinita valere,
Culparum veniam conciliare sibi,
Notitiâ Iovæ, Christi quoq; præditus alma,
Fœderis & noscens sacra sigilla novi:
Hic Domini mensam festinet adire sacratam,
Illius haud dubitet mandere lauticias:
Ergo sacramentum hoc dignè celebrare cupiscens,
Vivificoq; animæ participare cibo:
Abijciens culpæ sordes fomentaq; fœda,
Errata ingenuè cuncta fatere Deo,
Ista, pio, propter pectus contunde dolore,
Hauri hinc flumen aquæ, fletibus ora rigans:
Imprimis doleas talem offendisse parentem,
Qui tibi dat gnatum, munificeq; beat.
Nec tibi proponas peccata iterando fovere,
Duriciem hanc cordis certa ruina premet:
Te potiùs Domini bonitas dum summa vocâbit
Dumque tibi profert mystica dona sua:
Ne sacra contemnas postremæ fercula Cœnæ,
Omnigenis epulis pluris habenda soli:
Corporis esca citó cum corpore dèperit ipso,
Durat in æternum mentis ut ipsa, cibus.
Hic cibus est animæ Christus, potusque piorum,
Certa salus ab eo, non aliunde venit:

Scilicet

Scilicet in ſancta tibi donat utrumque Synaxi,
Se prebens animæ, quò tu earis eam:
Hanc adiens Cœnam, fide, ad ipſum, cor relevato,
Corpus ubi, in Cœlis, glorificatum, habitat:
Inde tamen radios evibrans Pneumatis, in te,
Se tibi credenti, communicare velit:
Symbola dum prendis, ne cernuus ipſa tuere,
Mors ejus vigeat pectore fixa recens:
Proficere ergo tibi, valeat quò Cœna Magiſtri.
Corde dolens, ſimul, huc, corde fidelis ades.

Mundi vera ſalus animarum ac unica vita
Chriſte! meam hanc animam corpore paſce tuo,
Quod cruce ſuffixum, fidei certæ ore prehendens,
Appropriansque animæ, mandere rite feror.
Saluus ut evadam, te ſolo prima potiri,
Cura mea eſt, juſſis ac obedire tuis:
Salvus ut evadas, Chriſto Sibbalde *potiri*
Prima tibi cura eſt, perſtet & uſque precor.

THRENODIA MVTABILITATIS

Externi hominum ſtatus. E vulgari
Comitis de Eſſex. *Dicata M.*
Ro. Douglaſio, *verbi Dei*
diſpenſatori experto.

QVid ſi forte dies, menſis, vel blandior annus,
Mille tua eventu fœlici vota coronent?
Vnius anne queat momenti caſus accerbus,
Mille malis eadem ſubvertere læta repente?
Gloria, proſperitas, laſciva juventa, venuſtas,
Mane virent, veluti flores, mox veſpere marcent.

Blandus âmor, dulcisq; perit, velut umbra, voluptas
Lætitiæq; leves mera sunt ludibria sensus,
Nec spatium vitæ quisquam producat ad horam.
Præ mundi spatio, tellus, præ terra, homo punctum:
Ergone de puncto sic punctus homuncio jactet,
Punctuli ut usurâ nimis oblectetur adepta:
Lubrica fortunæ bona sunt terrestria dona,
Et nihil humani durabile perstat in ævum,
Deliciæ rivo similes per prata fluenti,
Avolat hora citó bene vel male, non revocanda,
Sive doles gaudesve, latens regit omnia fatum.

Elogium hoc trutinent, metris breve, pondere grande,
(Nobilis Effexi *quod cygnea vox modulata est*
Angelicæ similis, quam profert Anglia linguæ)
Qui nimis addicti mundi pereuntis amori,
Plus sibi quàm par est fidunt aliive potenti.
O fugitiva sacris redimant sua tempora curis!
Curis, quæ mentem supra comitentur Olympum:
Quod præstare studes præco perdocte, probate.

Authoris, ex threnodia hac Consectarium. Ad animam fidelium hîc militantium & suam Dicatum vero Israelitæ. *Gul. Menteith. Dom, de Rendesurd,*

O Anima, æterni renovata propago Parentis,
Cœlica progenies, cœlis inscriptaq; nomen!
Has, varias contemne vices mutabilis orbis:
Exterã in his terris te præbens cum Patriarchis,
Perge iter occeptum, patriam pete perpete cursu:
Durato, & temet vitæ servato secundæ:
Fer mala, magnanimi vi, momentanea mundi,
Linque eventa Deo, præsentibus utere rebus:

Ipsi

Ipſi fide, tui qui curam haud negliget unquam;
Cedere cuncta facit bene qui deamantibus ipſum,
Victricem in Chriſto qui te, mundique, Draconis
Gladibus aſſiduis velut in fornace probatam,
Securam incertæ ſortis, fideique tenacem,
Trinuni in cœlis ſibi conſociabit eandem
Corporei ereptam tenebris e carceris olim:
Denuo & huic jungens te, gloriâ utrumque beabit,
Angelicumque dabit canere Halleluja perennè:
Hac mentem recreans redivivæ ſpe, Baro, vitæ,
Supplicibus lachrymis, fide & exorante petita,
Per Dominum Chriſtū cœleſte præhendito regnū

Ejuſdem meditatio antelucana, dicata. M. Her. Maggill Eccleſiaſtæ.

CVm gravis ſomni iliecebræ, micante
Mane, rumpuntur tenues, ſubitq́
Turbidæ vitæ anxietas, diurno
Tempore mentem:
Ne vagum cor velificans in æſtu
Vitrei ponti ad ſcopulos feratur;
Anchoram ad ſacram fidei ſpeiq́, hanc
Siſto carinam.
O meæ blandum effugium Camœnæ
In quod abducens animum, caducas
Anxias curas, popularem & auram
Spernere conor.
Sic Dei, noſtrūm miſeret Pronean,
Sic Patrem divumq́, hominumq́, Regem
Non piget terras humiles, ſimulq́, in-
viſere cœlum.

Ad

Ad ſacras ergo ſapientiæ aras,
Ignibus caſtis adolens penates,
Et voluptatum illecebras, & iræ
Macto furores.
Turbidos motus animi rebellis
Codicis ſacri ad ſpeculum refingo,
Quamque contendens ſpeciem cavere
Sedulò luxus.
Et Pater gratis mihi qui favebas,
Non ſines in me dominari iniqua,
Gratiam augebis magis, elueſque
Probra prementum.
Antè qui gnatum mihi contuliſti,
Cuncta quæ noſti bene profutura
Suggeres ſecum, ſimul & roganti
Te Paracletum.
Quemque dilexti, deamabis uſque,
Hac fovens mentem & melioris ævi
Spe bona, dignis ſtudijs miſellam hanc,
Tranſigo vitam:
Meque promiſſis Domini fidelis
Fulcio, contra mala cuncta mundi,
Impetus contra Sathanæ, ſaluti
Inſidiantis:
Cor pio plangens jugiter dolore,
Ob meæ vitæ aſſiduos reatus,
Mentis errata ob, prope cogitatu
Ocyus aucta.
Hîc thronum pulſo lachrymis Iehovæ,
Singulas culpas lavet ut cruore
Filij, ſordes animæque purget
Pneumate ſacro.

Mole

Mole peccati cupiens levari,
Inclytum expecto jubar æquitatis,
Prorsus infandum ſupero & fruendum in-
Limine lumen.

Lucis o fons! fluvium ſalutis,
Gratiæ è vena ſaliente fundens,
Chriſte, ſelecti generis Redemptor
Vnice mundi!
Da tuo mî nunc comiti per hujus
Orbis anfractus ſcelerumque fraudes,
Te frui in cœlum duce, te via te,
Lumine & aurâ
Da pio fratri tibi conſecrato,
Hujus anfractus varios per orbis:
Te frui in cœlum duce, te via, te
Lumine & aurâ

Ejuſdem Euctico*n.*

QVã mihi Iova fidem priùs es largitus adauge,
Ipſa tui, Chriſti, & fratrum fœcundet amore:
Quotidieq; mei creſcat metanœa reatus:
Dirige me in recto conſtanter calle ſalutis,
Hanc precor ut gratis mihi dones propter Ieſum,
Perpetuaſq; tibi tribuam de pectore grates:
Os, ac oſſa mihi hîc munus, funuſq; capeſſant
In Domino, proſint ubi multùm dona tributa:
Proſperet hic noſtræ, Lectori munera ſpartæ,
AMEN.

FINIS.

NATIONAL LIBRARY OF SCOTLAND

Seeing folk without
Meat —